G B

76

Vale of Sequere vi
ad Emden. der Christly
pr. 7. 7. Memory



QVAESTIONVM ET RESPONSIONVM CHRISTIANARVM

pars altera, quæ est de Sacramentis.

THEODORO BEZA Vezelio, authore.

ADIECTVS EST INDEX Quæstionum copiosus.



GENEVÆ,
Apud Eustathium Vignon.
M. D. LXXVI.

CHRISTIANO LECTORI.

Ne quis eorum quæ hîc scribuntur lectione offendatur, testatur Beza sese de istis Christianè cum quibusuis paratũ conferre, & certiora ex Dei verbo docentibus cedere.



INDEX QVAESTIONUM in hac altera parte expositarum, prout sunt ad marginem adscriptæ numerorum notæ.

De Sacramentis in genere, ac primùm de voce Sacramenti.

1 QVOD Hebræi סוד vocãt, Chaldæi רזא, Græci μυστήριον, Latini Sacramentum verterunt, nusquam de veteribus aut nouis illis ritibus in Sacris literis dicitur, quibus tamen propterea nihil est additum.

2 Cur hos ritus Græci μυστήρια dixerint.

3 Cur eosdem Latini Sacramenta vocarint.

Fundamenta definitionis Sacramentorum.

4 Sacramenta ideo simplici Verbo esse addita vt per oculos etiam erudiremur, auditum tamen visui ad res cognoscendas præstare.

5 Spiritualium rerũ cognitioni quomodo seruiãt oculi.

6 Dogmata omnia Christianæ religionis Deus quibusuis tradit, quanuis non pari docendi forma.

7 Sacramentis quanuis aliter, nihil tamẽ amplius do-

cetur Ecclesia quàm in simplici Verbo.
8 Docendi ratio per Sacramenta, propter adiectũ Verbum, planior est quam altera, neque temerè huic adiecta.
9 Typi, Ceremoniæ, imagines, parabolæ, cur & quatenus Sacramentis obscuriores.
10 Signa alia naturalia, alia prodigiosa, alia voluntaria.
11 Sacramenta neque naturalia neque prodigiosa, sed merè voluntaria sunt.
12 Signorum voluntariorum alia sunt duntaxat μνημονευτικὰ, alia simpliciter σημαντικὰ, aliys præterea & præteritum quidpiam significatur & præsens aliquid datur, & tum iam datum tum etiam dandum obsignatur.

Definitio Sacramenti pro signo.

13 Quid sit Sacramentũ pro signo simpliciter acceptũ.
14 Verbum operatorium quid, & in genere quis sit verborum vsus.
15 Sacramenta extra vsum non habere rationem Sacramenti.
16 Christus ipsemet, non autem duntaxat quod in ipso consequimur, est res tum simplici Verbo, tum Sacramentis significata.

Definitio Sacramenti pro tota mystica actione.

17 Quid Sacramentum, pro tota sacra & mystica actione acceptum.
18 Sacramenta, quo sensu actiones dicantur: & quomodo



do propriè differant à Sacramentis.

Particularis expositio definitionis Sacramentorum.

19 Signa quæ sunt in Sacramentis.
20 Quid analogia in Sacramentis.
21 Quæ res significatæ.
22 Cur spiritualiter fieri obsignatio dicatur.
23 Cur fidei vox in Sacramẽti definitione exprimẽda.
24 Fidei in Sacramentis obiectum esse tum res præteritas, tum futuras.
25 Quid sit obsignatio.
26 Quæ sit nostræ consociationis sanctio.
27 Quæ Sacramentorum causa efficiens.
28 Quæ Sacramentorum materia.
29 Res spiritualis & cælestis in Sacramentis triplex.
30 Christus non dicitur res cælestis Sacramentorum, propter Deitatem vel animam.
31 Christi corpus & sanguis quo sensu dicatur res spiritualis & cælestis.
32 Hæc mysteria non esse imaginaria.
33 Ablationis beneficium quid declaret.
34 Alimoniæ beneficio quid intelligatur.
35 Quid sit beneficia Christi nobis in Sacramentis applicari.
36 Quæ sit forma Sacramentorum.
37 Quæ fiat mutatio in Sacramentis.
38 Materia externa & interna sunt etiam partes essentiales Sacramentorum.

39 *Quinam Sacramentorum fines.*
40 *Quarum rerum præteritarum μνημόσυνα sint Sacramenta.*

De copulatione signorum & rerum significatarum in Sacramentis.

41 *Sitne Christus ipse eo loco præsens vbi Sacramenta administrantur.*
42 *Totus Christus & Totum Christi quomodo differant.*
43 *Discrimẽ inter κατ' ἄλλο, κατ' ἄλλον, & καθ' ἑαυτό.*
44 *Totum Christum, at nõ totum Christi adesse quocunque loco celebrantur Sacramenta.*
45 *Cõtrouersiæ caput de Christi carnis reali præsentia.*
46 *Quatuor de reali carnis Christi præsentia sententiæ cur à vero aberrent.*
47 *Specialis Christi in Sacramento præsentiæ modus requiritur.*
48 *Huius specialis præsentiæ modus ex fine æstimãdus.*
49 *Præsentia Christi merè σχετικὴ, exẽplis illustrata.*
50 *Realis præsentia, & sacramentalis diuersæ.*
51 *Præsentia Sacramentalis à Dei voluntate sola dependet.*
52 *Realis distantia substantiarum signi, & rerum significatarum non euacuat Sacramenta.*

De signorum & rerum significatarum perceptione.

53 *Signa corporea corporis organis percipiuntur.*
54 *Christi beneficia, quum sint qualitates, sola mente, fide*

fide prædita percipiuntur.
55 Neque Verbi hypostasis, neque anima Christi potest à nobis aliter quàm ἐνεργείᾳ participari.
56 Corporis eiusdem cum nostris corporibus cohærentia monstrosa est.
57 Reipsa tamen Christo ipsi nos vniri oportet, sed spiritualiter.
58 Hæc Christi ipsius perceptio & κοινωνία cur spiritualis vocetur.
59 Eadem cur mystica appelletur.
60 Eadem cur vnitio dicatur.
61 Ipsius Christi substantiæ communio similitudinibus confirmata.
62 Qualis in summa sit nostra cum ipso Christo communio, & quorsum tendat.
63 Cur potius carnis quàm deitatis fiat mentio in nostra cum Christo coadunatione.
64 Etsi Christus solo animo fide prædito applicetur, fructus tamen huius applicationis ad corpus etiam pertinet.
65 Christus ipse non tantum in Verbo simplici, sed etiam in vtroque Sacramento vero per fidem communicatur.
66 Quid inter meram spiritualem, & Sacramentalem Christi perceptionem intersit.
67 Christus ipse cum suis iisdem donis materia fuit veterum quoque typorum & Sacramentorum.
68 Augustinus rectè dixit Sacramenta, habere stuporem vt mira non posse.

Collatio veterum & nouorum Sacramentorum.

69 *Sacramenta vetera in quibusdã cum recẽtioribus conueniunt, in quibusdam inter se dissident.*
70 *Quibus in rebus conueniant.*
71 *Quibus in rebus dissideant.*
72 *Sacramentorum multitudo non facit Patrum conditionem meliorem.*
73 *Analogia nostrorum Sacramentorum quomodo potior, quàm veterum.*
74 *Patres eandem atque nos escam manducasse.*
75 & 76 *Ipsa Christi caro nondũ reipsa existens, quomodo à veteribus manducata*

De formulis loquendi Sacramentalibus.

77 *Scriptura de Sacramentis modo propriè modo figuratè loquitur.*
78 *Quænam Sacramentales formulæ propriæ.*
79 *Prima Sacramentalis formula figurata, qua nomen elementi tribuitur rei significatæ.*
80 *Altera species, qua rei significatæ nomen tribuitur elemento.*
81 *Tertia species, qua signis tribuitur effectum rei significatæ.*
82 *Quarta species, qua id quod proprium est signorum tribuitur rei significatæ.*
83 *Corpus metaphoricum propterea non statui à nobis in Sacramentis.*
84 *Idémne sit credere atq; mãducare carnẽ Domini.*

85 Figuratas formulas Sacramentales non obscurare sed illustrare quæ de Sacramentis docentur.
86 Quis sit Sacramentalium figuratarum formularum vsus.

De Sacramentorum Christianorum numero.

87 Duo tantùm esse Ecclesiæ Christianæ Sacramẽta.

De Baptismo.

88 Quid vox Baptismi declaret.
89 Quid sit Baptismus pro priore Ecclesiæ Christianæ Sacramento acceptus.

De Baptismo exteriore.

90 Quæ signa sint Baptismi.
91 De adiectis Baptismo signis adulterinis.

De rebus in Baptismo significatis.

92 Elementi aquæ res significata.
93 Rituum Baptismi res significata.
94 Cur Baptismus in veterum ablutionum locum substitutus.
95 Aspersio aquæ Baptismi, significatur veteri sanguinis aspersione.
96 Induere Baptismum quid sit.
97 Ablutio interior, quid sit in Baptismo.
98 In Baptismo quomodo moriamur, sepeliamur, resurgamus cum Christo.
99 Christus qua ratione dici possit peccatis nostris mortuus, sepultus, excitatus a mortuis.

100 *Consociatio in Christo mutua quomodo in Baptismo sanciatur.*

De Baptismi antitypis.

101 *Quid sit ἀντίτυπον, & quæ Baptismi ἀντίτυπα.*

De Baptismo analytica tractatio.

102 *Baptismus non tantùm σημεῖον sed etiam σφραγὶς.*
103 *Causæ & partes Baptismi.*
104 *Verbum formale quodnam Baptismi.*
105 *Quid sit in nomen Patris Filij & Spiritus sancti baptizare.*
106 *Apostolos nihil in formali verbo Baptismi immutasse.*
107 *Effecta Baptismi quæ, & à quo proficiscantur.*
108 *Peccatum aliud quàm peccata.*
109 *Quid sit peccatorum remissio.*
110 *Quid regeneratio.*
111 *Effectum Baptismi à quo tempore incipiat.*
112 *Baptismus nõ abolet dũtaxat præcedẽtia peccata.*
113 *Peccatum originis quatenus tollatur Baptismo.*

Variæ de Baptismo quæstiones.

114 *Baptismus quatenus ad salutem necessarius.*
115 *Idémne fuerit Ioannis, & Christi Baptismus.*
116 *Non quiuis sunt baptizandi.*
117 *Fides baptizandi non præit necessariò Baptismo.*
118 *Ii demum baptizandi qui Fœderis tabulis comprehenduntur.*
119 *In adultis baptizandis requiritur fidei professio.*
120 *Mahumetanorum infantes non sunt ad Baptismũ ad-*

admittendi.
121 Neque Iudæorum.
122 & Nati ex fideli etiam altero parente ad fœdus
123. Christi pertinere probabiliter censentur.
124 Placemus Deo etiam credituri, necdum credētes.
125 Promissiones in sese legales, sunt Euangelicæ in Christo.
126 Quid valeat parentum fides in liberis.
127 Occulta particularia Dei iudicia de piorum infantibus sunt Deo relinquenda.
128 Quid obsignet Baptismus in infantibus nondum actu credentibus.
129 Vnde natæ stipulationes in infantium Baptismo fieri quondam consuetæ.
130 Papistarum infantes baptizari cur possint.
131 & Ecclesiam adhuc esse in Papatu quanuis Papis-
132 mus non sit Christianismus.
133 Adultus nec dum baptizatus papista non statim baptizandus.
134 Papistarum infantes qua conditione baptizandi, itémque Iudæorum & Mahumetanorum.
135 Non quorumuis hæreticorum liberi baptizandi.
136 Baptizādi munus ministris Verbi demandatū est.
137 Paulus cur sese neget missum ad baptizandum.
138 Papisticæ vocationes Ecclesiasticæ, sunt illegitimæ ex ipsis canonibus.
139 Impositionem manuum frustrà iactant Papistæ.
140 Baptismus à merè priuatis administratus, pro nullo censendus.

141 *Initium nostræ salutis non ducitur à Baptismo.*
142 *Priuati à non legitimè vocatis, ministerio tamen fungentibus plurimùm differunt.*
143 *Baptismus Papistarum quanuis conspurcatus, tamen Baptismus est.*
144 *Vitium in essentiali forma, Baptismum facit irritum, at vitium in doctrina non item.*
145 *Peccato non carent qui suos liberos offerunt Papistis sacrificulis baptizandos.*
146 *Sanctorum liberi antequam Baptismum obtinere potuerint mortui, non propterea priuantur regno Dei.*
147 & 149 *Baptismi ablutio reprehendenda.*
148 *Cur circũcisio fuerit octauo demum die adhibita.*
150 & 151 *De tempore & loco Baptismi administrandi quid statuendum.*
152 *De ritibus Baptismi, ac præsertim aspersione & & triplici immersione.*
153 & deinceps. *Baptismi formula quomodo obseruãda.*
157 *Baptismi vis per totam vitam diffunditur.*
158 & 161 *Cur non iteretur Baptismus: Cœna autem Domini tam sæpe repetatur.*
159 *Non quisquis peccat excidit regno Dei.*
160 *Excommunicati quatenus excluſi à regno Dei.*

De Cœnæ Domini ac primùm de variis eius appellationibus.

162 *Cœnæ Domini nomina in Sacris literis vsurpata.*

163 Cœnæ Domini appellationes Patribus vsitatæ.
164 & Cœna Domini Eucharistia cur vocata, &
165 quatenus sacrificij rationem habeat.
166 Sacramenti altaris nomine quantopere sit abusus Satan.
167 De Missæ nomine.

De ipsa Cœna Domini.

168 & Definitio Cœnæ Domini, & quædã eius par-
deinceps. tium breuis explicatio.
172 Panis ille & vinum illud quomodo à communi pane & vino differant.
173 Quinam sint ritus Sacramentales in genere, & quarum rerum sunt symbola.
175 & 176 Fractio panis est ritus Sacramentalis in Cœ-
& 182 na Domini retinendus.
177 & 178 Analogia signorum & rerum significatarũ.
179 Cur duplex elementum in Cœna Domini adhibeatur.
180 Poculi vsus in Cœna Domini necessarius.
181 Expedire Elementa Cœnæ Domini manu potius quam ore recipi.
183 Horrendi abusus, pro veris ritibus substituti.
184 Benedictio Cœnæ Domini quid sit.
185 Benedictionis partes quædam liberæ sunt in Ecclesia.
186 & Benedictionis ipsius Sacramentalis certa forma
187 est à Christo præscripta.
188 Varietas quarũdam in hac forma vocum non essi-

cit vt sit diuersa.

189 *Verba institutionis quo sensu operatoria dici possint.*

190 *Institutio Cœnæ Domini clarè & lingua populari tum recitanda tum explicanda.*

191 *Probatio sui quibus in rebus posita.*

192 *Verum & perfectum differunt.*

193 *Vitium in ipsa benedictione quatenus Cœnam Domini vitiet.*

194 *Fractionis panis præteritio ipsum actum Cœnæ Domini non reddit irritum.*

195 & 196 *Præbitione signorum, acceptione, esu & potu omissis, nulla est Cœna Domini.*

197 *Vitium in persona vel doctrina seu intentione ministri, non impedit quominus actus sit legitimus.*

198 *Indignitas accedentis nihil detrahit veritati Sacramenti.*

199 *Non valet consequutio hæc, Integrum Sacramẽtum quibusuis præbetur, ergo quicunque signa accipiunt, Christum quoque accipiunt.*

200 & 201 *Non quisquis audit Verbum vel mysteria intelligit: nec quisquis ea intelligit, ea sibi applicat.*

202 *Christus receptus semper seruat, neglectus autem iudicat.*

De explicatione verborum, *Hoc est corpus meum, & Hoc est sanguis meus.*

203 *Institutionem Sacramenti nõ esse in his solis verbis*

bis positam.
204 Distributio istarũ enũtiationũ in suas partes.
205 Quod subiectum.
206 Quod prædicatum.
207 Quæ & cuiusmodi attributio.
208 & deinceps. Tropus non est neque in subiecto, neque in prædicato, sed in attributionis genere.
211 Panis significat Sacramẽtaliter corpus: & Panis est Sacramentum corporis idẽ declarant.
212 Quæ sit vis huius Metonymiæ Sacramẽtalis.
213 Metonymica enuntiatio expressior est quàm simplex.
214 & deinceps. Figuratas esse has enuntiationes argumentis ex ipsis enuntiationum verbis & propositionum ratione petitis.
222 & deinceps. Alia argumenta petita à verbis præcedẽtibus & subsequentibus, item à circunstantijs, & quorundam aliorum locorum Scripturæ collatione.
231 Argumentum petitum à communi & συστατικῇ forma omnium Sacramentorum.
232 & deinceps. Quæ sit specifica forma Cœnæ Domini, & quæ vis illius.
235 Argumentum ab ascensione & permansione corporis Christi in cœlis.
236 Argumentum à locali circunscriptione, proprietate essentiali corporis Christi etiã glorificati.
237 Argumentum à necessario consequente.

Variæ quæstiones de Cœna Domini.

239 *Quo tempore celebranda Cœna Domini.*
240 *Quo loco.*
241 *De nocturnis conuentibus Christianorum.*
242 *De Cœnæ Domini in priuatis domibus celebratione extra tempus Ecclesiastici conuentus.*
243 *Communem panem potius quàm azymum esse vsurpandum.*
244 & 245 *De ostentatione & adoratione in Eucharistia.*
246 *Sintne omnes accedentes ad Cœnam admittendi.*
247 *Potest etiam esse Ecclesia, vbi non est vsus excõmunicationis à Cœna Domini.*
248 *Propter aliquos impuros, non est à Cœna Domini puris abstinendum.*
249 *Vnusquisque iubetur dignè ad Cœnam accedere.*
250 *Præparatio ad sequuturam refutationem.*

FINIS INDICIS

QVÆSTIONVM.

ERRATA. PRIOR NVMERVS PAGI-

nam, alter lineam indicat.

Pagina 1, linea 19, *dele* Græcos p. 2, 1, *lege* Sud. aut mysterium p. 3, l. 14, *lege* quo. p. 3, l. 7 *appone* notam numeri 4. p. 8, l. 17, *lege* sed istis auditis p 9, l. 5, *appone*. 5. p. 17, l. 3, *app*. 5. *ibidem* 16, *dele* 14. p. 18, l. 10. *ap*. 14. p 19, l. 4, *ap*. 15. *ibid*. 11, *dele* 15. p. 22, l. 6 *lege* illa enim p. 28, l. 7, *lege* est res spiritualis; p. 28, l. 24, *lege* insunt p 29, l. 16, *lege* qui sunt autem fines 31, 15, *lege* conquerantur quia 32, 7, *appone* 42. 33. 15, *appone* 43. 37, 8, *dele* & 42, 2, *appone* 52. 44. 8. *lege* quidem animam, 46, 16, *repone* 48. *Ibidem* 25, *lege* animi 47, 1, *lege* ista perceptio peragatur 48. 13, *lege* vtcunque 47. 4, *lege* rediturus, credentes, 49, 25, *lege* multum conducit. 60, 16, *lege* 75. 61 13, *lege* 76. *Ibidem* 25, *lege* tia id est. 72, 10, *lege* eos qui. 76, 8. *lege* indumus: in Christo ab vnumur. 77, 20, *repone* 94. 87, 4, *lege* impellat, 88 9, *lege* baptisatis. modo 91, 11, *repone* 17. *ibidem* 18, *dele* 117. 92, *repone* 110. *ibidem* 11, *dele* 119. 95, *lege* auditu. *ibidem* 4, *lege* motu: 96, 11, *repone* 126. *ibidem* 17, *dele* 117. 98, 1, *lege* probabiliter 99 3, *lege* δυνάμει quoque 100, 22, *lege* notam 101, 9, *dele* Oriente, siue 104. 25, *lege* formam eis præscribens 137, 24, *lege* habent. 106, 3, *repone* 140. *ibidem* 15, *lege* fungentibus. 107, 2, *repone* 141. *ibidem* 10 *repone* 142, 109, 23, *lege* nullis. 112, 9, *repone* 146, 114, 21 *lege* gissent. 124, 12, *repone* 159. *ibidem* 23, *dele* 159, 174, 10, *repone* 229.

QVÆSTIONVM CHRISTIANARVM, PARS ALTERA INQVA ASSERITUR vera de Sacramentis sententia.

THEODORO BEZA VEzelio auctore.

QVAESTIO.

QVid est Sacramentum? 1

RESPONSIO.

Sic Græcam vocem μυστήριον verterũt vetustissimi quique Theologi Latini, auctore fortassis illo vulgato Bibliorum Latino interprete, qui plurimis locis illud Græcum vocabulum sic expressit.

QV. *Hoc quidem fateor, sed hoc summiratus, Prophetas, & Apostolos Græcos ipsos, vtriusque fœderis scriptores, nusquam*

mysteria dicere vetera aut noua illa quæ vocamus sacramenta. Locus enim Pauli Ephes. 5.32, ad ipsam actionem non pertinet, sed potius ad eius effectum, nostram videlicet cum ipso capite coalitionem.

℟. Ita est vt tu dicis: nec tamen propterea existimandum est quidpiam Dei verbo adiecisse patres Græcos quum μυστήρια, vel Latinos quum Sacramẽta, sacros illos ritus vocarent. Nihil enim prohibet quominus, docendi gratia, voces aliquas vsurpemus extra Dei verbum, modo ne temere id faciamus, aut in ipsa doctrina Prophetica & Apostolica vel tantillum innouemus.

2 QV. *Sed qua ratione sacri illi ritus ita sunt vocati?*

℟. Græci quidem cur illos mysteria vocarint res ipsa indicat, comparatos nimirum cum simplici verbi diuini prædicatione. Nam hæc quidem plana & aperta est: ritus autem isti arcanam habent significationem, quum aliud sint, aliud autem doceant. Sicut ergo prophanæ gentes sua habebant mysteria & suas τελετὰς, quibus

bus homines miris modis Satan fascinarat: ita Ecclesiæ Christianæ in Græcia primùm institutæ vt sacros illos ritus (ad quos ne κατηχούμενοι quidem admittebantur) à simplici doctrina Christiana distinguerent, voces illas μυστηρίων & τελετῶν ex communi vsu, quanuis ad turpissima sacra olim accommodatas, sanctissimis rebus significandis adhibuerunt.

Q V. *Sed Latinæ vocis Sacramenti ratio non eadem esse videtur.* 3

R. Neque sanè eadem est. Mihi verò Latini videntur hanc vocē mutuati à militari sacramēto siue iureiurando qua milites, Reip. primùm, deinde Cæsari, solenni quodam ritu, & præscriptis verbis adstringebantur: idque ex Tertulliano eruditissimo & vetustissimo scriptore liquidò apparet. Sic enim ille in libro de Corona militis. *Puto*, inquit, *conquirendū an in totum Christianis militia conueniat. Credimúsne humanum sacramentum diuino superinduci licere, & in alium Dominū post Christum respōdere, & eierare patrem ac matrem & omnem proximum quos & lex*

honorari & post Deum diligi præcipit? Quibus ex verbis videtur & illud ostendi, solennes illas stipulationes, Credis? Credo, Abrenuntias? abrenuntio, à Catechumenis exigi consuetas, ex illa ipsa consuetudine iurisiurandi militaris desumptas quodammodo fuisse, & ad Baptismũ traductas qua Christiani in nomen Christi Domini, ac Regis subiectionẽ iurãt. Inde & illud eiusdem Tertulliani ad Martyres, *Vocatisumus ad militiam Dei viui, iam tũc quum in Sacramenti verba respondimus.* Et illud quoque Hieronimi ad Heliodorum, *Recordare tyrocinii tui diem quo Christo in Baptismate consepultus, in Sacramenti verba iurasti.* Sed & ipsum militandi verbum à Mose de toto Dei cultu vsurpatum est nõ semel. Cœnam autem Domini, quæ & ipsa cum Catechumenorum Baptismo cõiungebatur vt ex Iustini altero Apologetico & Ritualibus veteribus libris liquet, & ipsius iuratæ in Baptismo consocia tionis pignus est, Sacramentum quoque dici cœptam mirum videri non debet.

QV. *Sed cur iusiurandum illud Sacramentum*

mentum vocabatur?

℟. Nempe quòd sacris adhibitis ritibus sese milites deuouerent, atque consecrarent, quas cæremonias impias multi Christiani milites recusantes, martyrium subierunt.

Q V. *Mihi quidem hæc quod adipsam appellationem attinet satisfaciunt. Sed hoc nõ nihil me perturbat, quòd animus qui mihi visus erat in priore nostra tractatione acquiescere, nescio quomodo perturbatur audita Sacramenti voce, quasi nescio quid noui præterea sit mihi cognoscẽdum, idque eò magis quòd nulla est cõtrouersia quæ Christianas Ecclesias magis exerceat.* 5

℟. Hæc est Satanæ astutia, qui nulla vnquam re magis quam Dei externo cultu homines externis illis rebus addictos ludificatus est. Dupliciter autem hac in re peccatum videtur. Nam alij vsque adeo πνδμαπικοὶ videri voluerũt vt externa omnia tanquam crassa neglexerint, alii contrà nihil penè crediderunt nisi quod manibus ipsis palparent. Qui verò Deum ducem per Prophetas primũ

deinde per Apoſtolos loquentē audierint, in neutram partem declinabunt. Sed de hoc poſtea viderimus, vt omnia ſuo loco explicentur. Paucis ergo tibi ſic reſpōdeo. Etſi nos docet Deus intus ſuo ſpiritu ſpiritualia & æterna, tamen hanc ipſe ſibi legem præſcripſiſſe videtur vt nos per ſenſus nobis attributos illa ipſa doceat, niſi quum extra ordinem in ſuis aliquid peragere voluit. Senſus autem quinque ſunt, veluti mentis internuntii, nēpe viſus, auditus, guſtus, olfactus, tactus. Ex his duos præcipuos, nempe viſum & auditum ſelegit Deus, inter quos libenter ex te quæſierim quem cæteris excellere arbitreris.

Q V. *Viſum opinor, cuius inenarrabilis eſſe præcæteris vis quædam videtur.*

R. Falleris tu quidem vehementer. Etſi enim proximè ad mētis ipſius naturā accedere cognitione quadam videtur viſio, tum propter celeritatem, tum propter oculorum in perſpiciendis rebus acrimoniam: tamen quum nihil niſi quod eſt aſpectabile poſsis cernere, & in ipſis quæ aſpiciuntur rebus, præſtantiſsima quæque

quæque cerni niſi animo nequeãt, ſint autem infinitis modis plura quæ non ſpectari quàm quæ cerni oculis poſsint: quum denique ſonitu verborum (eſt autem ſonitus menti per aures docendæ inſtitutus) quicquid mente concipitur explicari aliquo ſaltem modo poſsit: efficitur auditũ quàm viſum infinitis modis eſſe vtilius ad res mente cognoſcendas inſtrumentum.

Q V. *Acceſſeram vt Theologum non vt Phyſicum audirem.*

R. Quorſum hæc tendant vbi audieris, cognoſces me ne tantillũ quidem à Theologi ſcopo aberrare. Quod ſi de rebus diuinis loquentibus nefas eſt quicquam Phyſicum attingere, vniuerſum penè Dei verbum expungas neceſſe eſt. Negas igitur ad res cognoſcendas maiorem eſſe aurium quàm oculorum vſum?

Q V. *Minimè id quidẽ, quum quiduis audiẽdo diſcamus, res autem ſolas aſpectabiles cernamus, nec eas quidem penitus, niſi quæ & quales illæ ſint alii ab aliis audiendo doceamur. Sed quorſum hæc?*

R. Vt Deum noris quum de arcana

illa sua voluntate (in cuius notitia sita est nostra omnis salus) hominem docere instituisset, eũ sensum ex omnibus delegisse qui ad id erat maximè accommodatus, auditum videlicet, ex quo etiam fidem, ac proinde iustitiam ac vitam, esse nos docet Apostolus. Hinc illa diuini verbi præstantia toties sacris literis testata.

QV. *Atqui surdus frustrà occinitur. Natura verò nos ad Dei verbum audiendum prorsus ineptos esse in superiore tractatione docuisti.*

R. Audire certè potest quisquis est auditionis sensu præditus, ac etiam auditarũ rerũ sententiam intelligentia percipere quisquis commodè docetur, nec est rationis expers. Sed auditis & perceptis vt rectis ac veris seriò assentiri nemo nisi peculiari Spiritus sancti gratia potest, quæ tamẽ etiam reprobis multis ad iudicium tribuitur. Promissionem denique salutis in Christo sigillatim sibi applicare, quod est fidei propriũ, solis electis datur, quod donũ regenerantem gratiam vocamus. Hoc posito, surdis certè non prædicatur Verbum,

aures

aures nobis tribuente Deo ad audiendũ, & vt ait Lucas, cor nobis aperiente vt auribus intellecta quæ Caro & sanguis nõ docet per fidem nobis applicemus.

Q.V. *Nondum video quorsum hæc ad Sacramenta pertineant.*

℟. Imo iam antea dixi Deum vt nos de sua in nos seruandos voluntate certiores faceret, Visus quoque sensum delegisse, quæ fuit Sacramentorum instituendorum causa.

Q.V. *Atqui æterna illa & cælestia bona quæ nobis in Sacris literis proponuntur per fidem in Christo apprehendenda, spiritualia quum sint, cerni nisi animo non possunt. Imò & ipse Christus nullis iam carnis oculis aspici potest.*

℟. Verum dicis. Sed inuenit rationem Deus qua nostris penè oculis vidẽdas præberet eas etiam res quæ per se inuisibiles sunt, & planè etiam magna ex parte intellectiles. Hoc autem vt planius etiam perspicias, vti me non pigebit distinctione à Dionysio illo, quicunque tandem is fuerit, vsurpata. Ait igitur ille doctrinam

qua nobis Deus diuina illa tradit, partimes se ἐμφανῆ καὶ γνωριμωτέραν ideſt perſpicuã & noſtræ cognitioni accommodatam, veluti quum verbis vſitatis hoc vel illud nobis dicitur: partim ἀπόῤῥητον καὶ μυστικὼ quam etiã συμβολικὼ appellat, ideſt quæ modo quodam tradatur qui non ſtatim res ipſas nudas intelligendas proponat, ſed per interpoſita quædam & inuolucra nos circunducat. Id autem ita eſſe Scripturæ ſacræ oſtendunt vt mox dicemus.

6 QV. *Num igitur doctrinæ Chriſtianæ capita quædam planius, quædam obſcurius à Deo ſunt Eccleſiæ tradita?*

℟. Eſt certè hac in re grauiſsimè à multis peccatum, quòd quæ de docendi forma dicuntur, ad res ipſas tranſtulerunt: quaſi videlicet neſcio quam ſapientiæ cæleſtis ad ſalutem neceſſariæ partem vulgo propoſuerit, alteram verò neſcio quibus perfectioribus ſeruarit.

7 QV. *Ais igitur nihil aliud oculis ſiue Sacramẽtis, quàm auribus ſiue ſimplici verbo percipiendum à Deo tradi?*

℟. Aio, neque hæc rebus ipſis quæ docen-

docentur sed docendi ratione differte.

Q.V. *Sed quid attinebat obscuriorem istam συμβολικὴν docendi rationem illi simplici & apertæ adiicere, si nihil aliud illa quã ista docetur?* 8

R. Imo planior & efficacior est quàm tu difficiliorem putas. Dic enim, obsecro, annõ quod pluribus sensibus, auditu videlicet simul & visu, percipis, tibi certius est quàm quod auditu solo intelligis?

Q.V. *Concedo, si res ipsæ de quibus mihi loquatur aliquis, oculis quoque meis subiiciantur: sed quid si non res ipsæ oculis conspicuæ, sed signis duntaxat adumbratæ præbeantur?*

R. Respondeo tum quoque efficaciorem esse eam præbitionẽ si signi ipsius explicatio addatur, quàm si verbis duntaxat ageretur. Etenim, quæso: si Prætor possessionem aliquarum ædium tibi verbis addicens, clauem simul tibi in manum tradat, eius possessionis symbolum: an non fis apud te eius rei certior, quàm si nudis verbis tibi ædes illas addixisset?

Q.V. *Ais igitur istam alteram docendæ* 9

nostræ salutis rationem (quam συμβολικὴν vocas, quoniam additis, signis fiat in oculos incurrentibus) habere adiuncta verba quibus ipsa signorum significatio explicetur?

℟. Aio, in hoc quidē de quo nunc agimus argumento, ideſt in Sacramētis Eccleſię ſic propriè appellatis. Nam alioquin etiā typi, ceremoniæ, imagines in viſionibus, parabolæ denique quibus non ſemper additæ ſunt explicationes, ad iſtam μυστικὴν Theologiā referūtur. Deus enim obſcurius docuit Eccleſiam ante exhibitū Chriſtum quàm ipſe poſtea Chriſtus, & poſt Chriſtum Apoſtoli: & familiarius etiā diſcipulos illos ſuos quàm turbas inſtituit, quum his quidem, ſicuti mercabantur, per parabolas loqueretur, illis verò myſteria regni cælorum aperiret. Hoc autem vt melius etiam perſpicias, num placet vt iſta ſymbola ſiue ſigna in ſuas ſpecies diuidamus?

10 ℣. *Placet omnino. Quot ſunt igitur quæſo illorum ſpecies?*

℟. Auguſtini hac in re veſtigia ſequutus: dico alia eſſe naturalia, ſicuti fumus

fumus est incendii signum: alia prodigiosa & cũ miraculo coniuncta, cuiusmodi fore in sole & Luna & stellis docet Dominus: alia denique ex voluntate & instituto, vel hominum, vt ramus appensus est vini venalis signum: vel Dei, vt Iris in cælo apparens est signum mundum nunquam diluuio periturum.

Q.V. *Ad quam verò speciem refers Sacramenta?* 11

R. Nempe quum neque naturalia signa sint, neque miraculosa, ad postremã classem ideſt ad Voluntaria referuntur, instituto videlicet ac Voluntate Dei constituta.

Q.V. *Atqui naturales illæ res sunt, quæ præsertim in nostris Sacramentis adhibentur.*

R. Concedo: sed quòd Sacramenta sint, hoc certè non habent à natura.

Q.V. *Sunt ergo miraculosa. Nihil enim magis est præter naturam quàm quod Sacramentis præstatur, & magnum mysterium esse dicit Apostolus quod in Cœna Domini sancitur.*

℟. Non ago de miraculis quæ & ipsa dicta sunt signa quòd potentiam Dei & veritatem Propheticã & Apostolicã obsignarent Mar. 26: neque de signis huic vel illi ad confirmandam eorum fidem, vel toti populo (non tamen in perpetuũ vsum) exhibitis vt, fuit Man & transitus per mare rubrũ: sed de ordinariis sacramentis in vsum continuum totius Ecclesiæ institutis, qua de re agens Augustinus, libro de Trinit. 3. cap. 10. & quidẽ panem sacrum expressè nominans, *Hæc*, inquit, *honorem habere possunt vt religiosa, stuporem autem habere vt mira non possunt.* Quod verò ex Apostolo citasti, nõ de signis sed de effectis dicitur, quæ legitimum sacramentorum vsum consequuntur, vt suo loco dicemus.

12 QV. *Sed ista quæ Voluntaria siue ex Dei instituto signa vocas, súntne eiusdem speciei?*

℟. Nequaquã. Nam alia sunt duntaxat μνημονευτικὰ, idest in eũ vsum instituta vt sint duntaxat præteritarum rerum monimẽta, vt duodecim lapides de Iordanis al-

ueo

ueo ſublati, qui eſſent exſiccati fluminis te
ſtimonium. Alia præterea σημαντικὰ ideſt
rem præſentem vel futuram deſignantia,
vt eſt Iris in cælo, non modo fœderis illius
cum Noacho iniri ſignum, verum etiam
neque iã preſentis neque vnquã futuri di
luuii quoddã veluti pignus. Alia denique
ita inſtituta vt præterquã quòd aliquid pre
teritum nobis in memoriã reuocãt, teſten
tur etiam id cui ſignificãdo adhibentur
nobis verè & reipſa dari, eiuſque promiſ-
ſionem in nobis velut impreſſo ſigillo ob-
ſignent. Sic inſufflando Chriſtus diſcipulis
ſuis ſanctum ſpiritum impertitus eſt, intus
inſpirando quod exterius flando ſignifi-
cabat ſimul & dabat.

Q V. *Ad quam ergo ſpeciem reuocas illa de quibus agimus?*

℟. Ad poſtremam videlicet, quibus præteritum aliquid ſignificatur, præſens aliquid datur, & iam datum ac dandum obſignatur.

Q V. *Vis ergo ſacramenta de quibus actum ſumus, partim eſſe præteritorũ μνημοσυνικὰ, partim præſentium ac deinceps futu-*

rorum σφραγίδας?

℟. Omnino.

Q.V. *Tandē ergo velim hæc mihi quāpiam commoda definitione explicari.*

℟. Faciam quantum potero. Sed ita vt vetera illa hactenus attingam, quatenus hæc ex illorum comparatione possunt ac debent etiam intelligi.

Q.V. *Hoc non etiam quæro.*

℟. Sed satisfacere tibi rursus non possum nisi cum præfatione.

Q.V. *Cúr nam, obsecro, quùm iā simus tā multa præfati, ac etiam Sacramentis nihil aliud quàm externo verbo nos doceri dixeris?*

℟. Sic opus est, vt Sophisticas calumnias vitemus quibus hic præcipuè vsus est Satan, captata ex eo occasione quòd homines nullis certioribus, decipulis capiantur quàm rebus corporeis quæ quum ad res spirituales adhibeantur quibus subseruiant, euenit cōtrà vt res spirituales ex corporeārū natura metiamur, quæ est perpetua Idololatriæ origo: quamobrem scitè & verè hanc sententiam repetiit Augustinus,

nus, miserrimam esse seruitutẽ, signa pro rebus significatis accipere.

Q.V. *Vtamur ergo rursum vocis homonymæ explicatione.* 11

℟. Sacramentum video in isto argumento modò vocari ipsa duntaxat signa, modò verò res etiam ipsas sacramentaliter, vti diximus, significatas. Prima igitur significatione sic definio, Sacramentũ est signum visibile diuinitus Ecclesiæ institutum, cuius vsu Christus cum suis beneficiis ad vitã æternã spectantibus ita significatur cõuenienti quadã analogia, vt etiam reipsa in credentium animis obsignetur.

Q.V. *Rogo vt hanc mihi definitionem explices.* 12

℟. Signum appello, quod sic definit Augustinus libro 2. capite 1. De doctrina Christiana, vt rem esse dicat, quæ præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciat in cogitationem venire, vt aqua in Baptismi vsu considerata, præter speciem aquæ quam oculis exhibet, animis repræsentat sanguinem quo sunt

peccata nostra abluta. Addo *diuinitus institutum*, partim vt neque sui natura, neque miraculo, sed ex Dei instituto res illas naturales Sacramenta fieri ostendant: partim vt hanc mutationem doceam non ipsis vocibus pronuntiatis, sed Dei ordinationi in solidum tribuendam doceam, quæ quidem ordinatio verbis ipsis exprimitur.

13 QV. *Negas igitur verbum operatoriũ quod vocant?*

℟. Si verbũ operatoriũ vocas, quod testatur Deum aliquid efficere, hanc vocem admitto. Sin verò sic appellas quasi Deus vim aliquam ipsis vocibus indiderit, hoc commentum vt planè magicum repudio.

14 QV. *Quam igitur vim habẽt ipsæ voces?*

℟. Vt Dei voluntatem, de quaque re, nobis exprimant, siue promittat, siue minetur, siue præcipiat, siue denique hoc vel illud agat. Et aio nihil aliud tribuendum verbis à quoquam pronuntiatis, quàm vt sint eorum quæ dicuntur notæ. Addo *Ecclesiæ institutum*, vt particu-

laria

laria & momentanea Sacramenta ab iis distinguã quę ad vniuersum fidelium cœtum, & quidem ad continuum vsum spectant. Subijcio, *In quorum vsu*, vt eorum crassum errorem refellam, qui nescio quid diuinæ qualitatis signis instillatum somniant, quod extra vsum ipsum retineãr, vnde sunt infinitę superstitiones maximè ridiculæ (ne quid acerbius dicam) consequutæ.

Q V. *Ais igitur (vt hoc exemplo vtar) panem illum consecratum Cœnæ Domini, extra ipsam actionem: esse communem panem, qui tamen fuerit in ipsa actione verum corporis Domini Sacramentum.* 15

R. Aio.

Q V. *Videntur tamẽ veteres magni viri aliud existimasse.* 16

R. De hoc postea suo loco videri-mus. Addo Christum & ipsius beneficia congruenti analogia signorum nobis significari: primùm vt ostẽdam rem omnibus illis de quibus agimus Sacramentis vt & simplici verbo Dei, significatam, esse non modò quæ in Christo consequimur

beneficia, de quib⁹ plenius in superiore tractatione disseruimus: sed imprimis ipsummet Christū, quē qui non possideat, nihil istorum ex ipso consequatur. Congruentē analogiā & conuenientiā voco, quę facit vt signo oculis exhibito, simul intellectui repræsententur res significatæ. An enim obsecro, herbam pingas, vt hominē spectanti repræsentes? Rectè igitur Augustinus, Nisi, inquit, Sacramenta similitudinem quandam haberent earum rerum quas significant, vtique Sacramenta non essent. Sed de hoc postea viderimus. Postremò facio obsignationis mentionem, sequutus Apostoli vestigia, quum Circuncisionem non modò σημεῖον, sed etiā σφραγῖδα vocat, vt sciamus reipsa præstari à Domino quod signis adiūctis pollicetur. Id verò quū, etsi omnibus offeratur, tamen à solis credentibus animo siue spiritualiter percipiatur, ideo *in credentium animis* adieci.

17 QV. *Sacramentum autem altera ampliore significatione quomodo definis?*

R. Sic definio vt sit actio quædam sacra

ſacra diuinitus Eccleſiæ ad finem vſque ſeculi demandata, in qua Deus congrua quadam ſignorum & rerum ſignificatarũ analogia, partim rerum præteritarum memoriam in nobis fouet: partim res cæleſtes in adiuncto inſtitutionis verbo declaratas, velútque oculis noſtris repræſentatas noſtris animis offert, per fidem ſpiritualiter obſignandas: qua denique filiorũ Dei à mũdo ſeparatio, mutuáque eorumdem inter ſe ſocietas ſancitur.

QV. *Velim vt hanc definitionem mihi particulatim explanes: ac ſignũ quidem cur actionem appelles, quum neque ſigna, neque ſignificatæ res actiones ſint.* 18

℟. Imò quędam actiones ſigna ſunt, vt mox dicam. Sed vt actio non ſit quicquid hîc inte uenit, meritò tamẽ hoc genus in hac definitione ſtatuitur, quoniam & ſigna ipſa, & res ſignificatę eò referuntur, vt agendo quod Deus præcepit, & illa ſint nobis ſigna, & iſtæ res nobis cõferantur. Eſt autem ſacrificium quoque actio ſacra diuinitus Eccleſiæ mãdata, ſed tantùm ab iſta diſſidens, quãtum intereſt

interest inter Dare & Accipere. Nã in Sacrificiis offerimus, in Sacramentis recipimus. Sed de hoc postea viderimus.

QV. *Nõ quæro cur hæc sacra, cur diuinitus, cur denique Ecclesiæ demandata dicas. Illud enim ex superioribus intelligo. Sed per cõtor cur illud Ad consummationẽ vsque seculi, adiecerus.*

Rx. Quoniam credidi nobis propositũ esse duntaxat de Christianæ Ecclesiæ Sacramẽtis disserere, quæ fine demum seculorum abolenda extra controuersiam positum est.

19 QV. *Ita esto. Sed quid signorum voce intelligis?*

Rx. Duo, nempe imprimis id quod elementum vocare solent, terrenum videlicet illud & corporeum, nempe aquam in Baptismo, & panem ac vinum in Cœna Domini: deinde ritus in ipsa actione vsurpatos, qui & ipsi sunt Sacramentales: neque mutari vel omitti sanè debent.

20 QV. *Analogiam quid vocas?*

Rx. Conuenientiam signi cum re significata, vt ablutionis aquę cum ablutio

ne-

ne sanguinis, & alimenti huius vitæ cum æternæ vitæ alimento.

Q.V. *Quænam autem sunt res illæ significatæ?* 21

R. Christus ipse, vt dixi antea, cum omnibus suis beneficiis ad singulorũ Ecclesiæ membrorum necessarijs.

Q.V. *Cur illud Spiritualiter adiicis?*

R. Vt à cælesti Spiritus sancti virtute 22
mystica, miniméq; corporea seu sensib⁹ externis, aut etiam naturali intelligẽtia perceptibili, pendere istarum rerum obsignationem ostendam.

Q.V. *Cur addis per fidem?*

R. Primùm vt doceam signa quidẽ 23
externis sensibus obiici, & ab iisdem recipi: res autem ipsas menti offerri, nec tamẽ à quauis mente (quanuis omnium accedentium animo offeratur) sed ab ea demũ mente recipi, quæ sit fide prædita: quoniã fides vnicum est Christi recipiendi instrumentum.

Q.V. *Rerum autem præteritarum cur mentionem iniicis?* 24

R. Quoniam fides nostra partim in

ea respicit quæ nostri causa Christus perfecit, partim autem promissiones nõdum in nobis impletas intuetur.

25 QV. *Quid obsignationem appellas?*

℟ Applicationem efficaciorem per fidei incrementum. siquidem quò fides maior est, eo præstãtius est eius effectum, vt Christus cum suis donis magis ac magis nobis ipsis velut insculpatur: quò respiciens Apostolus, Christũ ait in nobis, & nos vicissim in ipso adolescere.

26 QV. *Quænam autem est illa mutua nostræ in Christo consociationis sanctio?*

℟. Sic appello mutuum illum spiritualem charitatis nexum, cuius vinculum vt membrorũ eidem capiti adiũctorum, & eodem spiritu viuificatorum, tũ externa professione, tũ interioris affectus accessione, in recto Sacramẽtorum vsu fortiter adstringitur.

27 QV. *Cedò igitur quæ causa est nostrorum Sacramentorum efficiens?*

℟. Christus Deus & homo pro bona sua voluntate ac potentia, quam præscriptis verbis per os ministri testificatur.

Qu.

Q V. *Quæ materia?* 28

℟. Duplex: Vna terrena, altera cæleſtis, teſte Irenæo, quas etiam licebit partes eſſentiales vocare. Nam certè quicquid eſt in Sacramento vel in ſenſus externos incurrit, & ſigni rationem habet: vel eſt ſpiritualis, ſiue cęleſtis, & per illam externam ſignificata.

Q V. *Quid ſigni nomine intelligas antea dixiſti. Rem autem ſpiritualem & cæleſtem quid vocas?* 29

℟. Chriſtum ipſum imprimis, deinde ipſius beneficia, poſtremò & illius & iſtorum applicationem.

Q V. *Age igitur de tribus iſtis ſeorſim dicamus. Non vis, opinor, Chriſti ſolam virtutem & efficaciam in nos promanantem, ac multò minus etiam ſolam ipſius iuſtitiã, quæ imputatione noſtra fit, Chriſti nomine intelligere.*

℟. Rectè ſentis. ſiquidem oportet ipſum Chriſtum noſtrum fieri, nobíſque adiungi, cui omnia illa inſunt, vt quæ ipſi ſint, ex eo hauriamus: ídque ex analogia liquet. Nam ablui niſi applicata aqua, &

& ali nisi ipso sumpto cibo & potu nequeas.

Qv. *Sed, vt opinor, totum Christi intelligis, non autem vel ipsius diuinitatem solam, vel solam animam, aut solum corpus?*

Rx. Totum Christum, & totum Christi intelligo. Diuisus enim Christus, Seruator non est.

30 Qu *Estne igitur aliquod in his discrimen?*

Rx. Est profectò, qua de re postea dicemus.

Qu. *Hoc igitur nunc mittamus. Sed si res ita se habet, cur rei illius cælestis ac spiritualis nomine Christum intelligis? num ob ipsius diuinitatem vel animam?*

Rx. Nequaquam. Vides enim in Sacramentis expresse fieri mentionem sanguinis & corporis: ac rursum etiam sanguinis, quæ sicut corporeæ sunt naturæ, ita etiam corporeis signis puta aqua, pane & vino repræsentantur.

31 Qu. *Cur igitur spiritualem & cælestẽ, rem illam vocas?*

Rx.

Rx. Non quòd ſpiritualis ſiue incorporeæ ſint naturæ: neque quòd cæleſti gloria nunc ſint præditæ, quo ſenſu dicit Apoſtolus, corpora noſtra fore ſpiritualia & cæleſtia, gloria videlicet, non ſubſtantia: ſed quòd in illis myſteriis proponãtur, nõ noſtris corporeis ſenſibus, & corporeo modo (nec enim aliter agere corporei ſenſus poſſunt) ſed mente ſicut verba monẽt contẽplanda, & fidei manu apprehẽdẽda.

Qu. *Hæc igitur myſteria imaginaria ſunt.* 32

Rx. Sic video nonnullos colligere: ſed quàm immeritò ſic concludant, tunc oſtendam quum ad quæſtionem ventum erit quomodo res illas ſignificatas participemus.

Qv. *Ergo ad alterum nempe ad Chriſti beneficia accedamus. Quænam illa ſunt igitur?*

Rx. Sunt hæc à nobis ſuperiore tractatione explicata. poſſunt autem ac etiã debent, ſeruata ſignorum ac rerum ſignificatarum analogia, ad duo quædam reuocari, nempe ad ablutionem & alimoniam,

quarũ illa in Baptiſmi, iſta in Cœnę Domini myſteriis ſancitur.

33 Qv. *Ablutionem quid vocas?*

℟. Remiſſionem peccatorum, quorũ loco ſuccedit obedientia Chriſti: & cœptã corruptionis naturæ abolitionem, cui opponitur ſanctificatio in nobis inchoata.

34 Qv. *Alimoniam quid appellas?*

℟ Horum ipſorum veluti fomentum & incrementum.

35 Qv. *Supereſt tertium, quod vocabas iſtorum beneficiorum applicationem.*

℟. Sic appello veluti inſinuationem quandam quæ fit ſancti Spiritus virtute intra nos agente: ſignificatur autem ſacramentalibus minimè vanis ritibus: putà corporea ablutione per immerſionem & emerſionem, & corporeo tum panis eſu, tum vini hauſtu.

36 Qv. *At quænam eſt Sacramentorum forma?*

℟. Illa ipſa actio externa legitimè obſeruata, itémque actio Spiritus ſancti interna.

37 Qv. *Mutátne verò iſta forma ipſam ſigno-*

signorum substantiam?

Ꝛ. Nequaquam. Signa enim esse desinerent, si in aliam substantiam conuerterẽtur, quoniam periret analogia in qua posita est omnis Sacramentorum ratio. Mutatio est igitur sacramentalis non essentialis, id est, non in rei ipsius mutatione, sed in eius vsu permutato posita, veluti quũ aqua fit sanguinis Christi, & panis quidem corporis, vinum autem sanguinis eiusdem Sacramentum.

Q. *Atquitu ista paulò antè partes vocabas?* 38

Ꝛ. Et meritò quidem. Nam hæ duæ per se causæ, sunt quoque rerum partes essentiales, vt rectè Dialectici monent.

Qv. *Quis est autem ipsorum Sacramentorum finis?* 39

Ꝛ. Alij præcipui, nempe vt (sicuti diximus) Christus cum omnibus suis donis in nobis magis ac magis obsignetur: alij minus prẽcipui, vt & ab aliis Christianam fidem non professis, hac quoque tessera distinguamur, & mutua charitate magis ac magis inter nos deuinciamur.

Qv. *Nihilne amplius?* 40

Imò hoc quoq; adiiciẽdũest. Esse quoq; Sacramẽta μνημόσυνα rerum præteritarũ: vt in Baptismi ritib⁹, aquæ effusio, Christi sanguinis effusionẽ: immersio & emersio eiusdẽ mortẽ sepulturã ac resurrectionẽ, quasi præsentes oculis nostris subiiciũt: itémq; in Cœna, fractio panis, passum pro nobis Christum nobis quodammodo repræsentat.

41 QV. *His expositis, libenter ex te quæsiero, quæ sit copulatio signorum cum rebus significatis. Nec enim ignoras, hanc præcipuè nunc agitari controuersiam, Sintne realiter præsentia corpus & sanguis Domini, id est eò ipso loco vbi est panis ille & vinum illud, siue maneant signa, vt existimant nõnulli, siue aboleantur, solis manentibus accidentibus, vt tradunt qui Pontifici Romano assentiuntur.*

℟. Hanc controuersiam eò iam adductam, vt ei decidendę conscientia potiùs quàm scientia sit opus, vnus Dominus, aut admirabili quodam iudicio, aut insigni exemplo suæ misericordiæ decidet: explicare tamen conabor, quum ad Cœnam Do-

Domini ventum erit. Nunc vt ad quæsitum respondeam, dico quum res & in verbo simplici & in Sacramentis significatæ partim sint res per se non subsistentes, vt remissio peccatorum, sanctificationis donum, fidei incremẽtum, incorporatio in Christum, & similia: quæstionem de reali rerum significatarum præsentia necessariò ad aliquid ὑφιστάμενον restringi. Hoc autem opinor, non aliud quàm ipsummet Christum poni posse. Et quum ij quibuscum hac de re non sentimus, minimè, vt opinor, Christum diuidendum censeant vtqui hoc ipsum à nobis fieri (immeritò tamen) conquerantur: quia realem illam corporis Christi præsentiam negamus: putas ne sic statum huius controuersiæ cõcipiendũ esse. Sítne Christus Deus & homo ijs ipsis locis præsens vbi Sacramenta administrantur.

Qv. *Sic legi in nonnullis illorum scriptis, qui tamen non in genere de Sacramentis omnibus sed de Cœna Domini hoc affirmabant.*

Re. Ego & de Cœna Domini & de

Baptismo,ac,suo etiam modo, de ipsis ante aduentū Christi in terras, Sacramentis idem affirmare non dubitem : neque me Christianum arbitrarer si hoc negarem.

QV. *Gaudeo igitur inter nos conuenire.*

R. Vtinam verò aliquando conueniat. Audi igitur,quæso. Quin Christus secundum deitatem sit vbique,ambigi non potest. Illud quoque extra controuersiam est,quum natura humana sic à Verbo assumpta sit,vt Deus & homo sint vnicum ὑφιστάμενον, consequi si Christum consideres vt vnum & singulare quiddam, totum quoque Christum vbique adesse, nō tamen vt in Sacramentis: in quibus profectò necesse est peculiarem quendam,vt ita loquar, παρουσίας modum constituere, vt à cæteris cōmunibus rebus, quibus & ipse adest,distinguantur.

Alterū quod à te velim expendi,istiusmodi est. Quod dicitur de toto,non tamē dicitur de singulis partibus, diuersi inter se generis. Vt,exempli gratia, Totum illud quod hominē vocamus, animal esse defi-

definimus rationis particeps, quod tamen de neutra essentiali parte hominis seorsim considerata dixeris. Est tamen in hac definitione quidpiam, nempe ratio, quod alteri hominis parti nempe animæ, tribuitur.

Viden' ergo aliud esse totum Christũ, id est Christum vt totum quiddam consideratũ: quàm totum Christi, id est Christum quẽ per suas sigillatim partes (liceat enim hîc mihi Deitati quoque partis nomen tribuere) expendas.

Q. V. *Video omnino. Sed numquid amplius?*

R. Imò velim & hoc abs te obseruari, quædam sic ad singulare quidpiã constituendum conuenire, vt quod vni per se nullo modo conuenit, tamen ei tribuatur, quatenus cũ alio coaleuit: id quod vsque adeò verum est, vt de iis etiã dicatur quæ tamen per accidens duntaxat & ad tempus coniũguntur. Sic exempli gratia, quũ Rex coronatus & purpuratus adoratur, corona quoque & purpura adoratur, sed κατ' ἄλλο, id est, alterius rei, nempe regiæ

ipsius dignitatis respectu, cuius sunt ornamenta, nō καθ' ἑαυτὰ, siue sui ipsius habita ratione. Nam ad res illas non referri adorationem ex eo liquet, quòd eas Regi detractas nemo nisi insanus adorare sustineat. Sed & κατ' ἄλλον, id est, propter alium, propter Regem videlicet adorantur, à quo gestātur. Nec enim vnquam in vnū ὑφασμάμενον, purpura vel corona cum Rege coalescit. Multo magis ergo καθ' ἄλλο, de eo quod hypostaticè cum alio iunctū est, dicetur quidpiam, quod tamen ei καθ' ἑαυτὸ tribui nullo modo potest. Sic Verbo assumēti tribuitur, quod est assumpti hominis, vt quū dicitur Deus passus, itémq; assumpti hominis quod est Verbi assumētis, vt quum homo assumptus, quo tempore loquebatur in terris cū Nicodemo, dicebat se in cælis esse.

QV. *Hæc tu etiam antea. Sed adijciebas de concretis quidem vocibus, puta Dei & hominis, hæc dici: de abstractis verò, nempe Deitate & humanitate non item.*

R. Nisi hoc ita sit, necessariò sequetur cōfusio naturalium proprietatum cuiusque

iusque naturæ, quæ vocibus illis abstractis significantur. Itaque Deum crucifixũ ac mortuum fuisse rectè & piè dicimus, Deitatem verò crucifixam vel mortuam dicere impium est. Mihi tamen illud quoq; videtur nulla fidei iactura concedi aliquo modo posse vt de ipsis etiam abstractis idem dicatur, si modò expressè semper addatur, id dici non καθ' ἑαυτὸ, sed κατ' ἄλλο, vt sic quoque concretũ per abstractum, sic determinatum intelligatur.

QV. *Dic ergo tãdem, Sitne Christus ipse secundum humanam naturam re ipsa & suĩpsius substantia præsens vbicunque Christianæ Ecclesiæ Sacramenta administrant.* 44

℟. Dico igitur totum Christum, id est, si vt totum & vnum quiddam ex duabus naturis constitutum consideretur, non modò Sacramẽtis, sed etiam rebus omnibus verè & reipsa adesse. Negò tamẽ propterea consequi humanam ipsius naturã in sese consideratã alibi nunc quàm sursum esse, tantum abest vt vel simul multis locis, vel vbique sui substantia adesse pos-

sit. Et tamen rursum concedo si hæc humana natura non in sese, id est, καθ' ἑαυτὴν, sed κατ' ἄλλο (id est, si eatenus considereretur quatenus cũ Verbo à quo assumpta est) vnicum est ὑφιστάμενον, tam præsentem vbique esse quàm ipsum Verbũ à quo diuelli non potest, nẽpe nõ quod ipsamet adsit, sed quia cum Verbo quod vbique adest, coniuncta est.

45 QV. *Qua de re igitur inter vos & illos controuertitur?*

R. De eo quòd illi tum qui μετουσίαν, tum qui συνουσίαν tuentur, volũt humanã naturã ipsãmet esse simul & sursum & deorsum, nos autem sursum nunc tantùm esse docemus: nec tamen propterea personam diuidimus.

46 QV. *Sed illam præsentiam simpliciter ne in rebus omnibus, an in Sacramentis duntaxat constituunt?*

R. Vbiquitarij quidem in rebus omnib⁹ adeò vt Christũ quod ad οὐσίαν attinet, aliter esse nolint In, Sub, vel Cũ pane, quàm in quibuscunque rebus: idque hypostaticæ vnionis virtute, quam definiunt

niunt omnium deitatis ἐνεργειῶν reali in assumptam carnem effusione: quo sensu ascẽsionẽ quoq; Christi in cęlos, & sessionẽ ad dexteram Dei interpretantur. Alij verò quidam hanc realẽ ipsius carnis Christi præsentiã sic docẽt, vt sentiant etiã ipsi hoc consequutã carnẽ Christi à Deitate cùi adiuncta est, vt & quotcunque voluerit locis simul esse reipsa possit, salua manente ipsius veritate: constare autem ex disertis institutionis Cœnæ verbis, Christum velle carnem suam ibi reipsa adesse: vnde consequatur præsentiam hanc præcipuè in Cœnæ Sacramento statuendã. Alij de re quidem ipsa idem sentiunt: sed hãc pręsentiã petunt ab ipsis institutionis verbis, adiuncta sessione ad dexteram Patris, illa hypostaticæ vnionis virtute omissa. Pontificii denique Transsubstantiatores, damnata Vbiquitate, in solo altaris (vt loquuntur) Sacramento, pręsentiam istam realem statuunt, in operatoria certorum verborũ virtute & Dei omnipotentia hærentes.

Q. V. *De istis verò quid tibi videtur?*

℟. Peccare omnes istas sententias in eo quod inter κατ' ἄλλο, & καθ' ἑαυτὸ distinguere vel nolunt, vel nesciunt, quę inscitia tot annos Ecclesiam per Nestorianos, Eutychianos, & Monothelitas exercuit. Deinde, in hoc quoque pudendum errorē admitti, quòd quæ ad præsentiam vniuersalē & rebus omnibus cōmunē spectant, ad Sacramētalē præsentiā trahunt.

47 Q V. *Sentis igitur quæ de præsentia carnis Christi* κατ' ἄλλο *dixisti ad omnia pertinere?*

℟. Omnino. Nam alioqui Deitatem Verbi statueres alicūde abesse, ac proinde Deitatem non esse. Minus dura tamen est loquutio in concreto, si Christum etiā hominem potius quàm Christi carnem dixeris vbique esse κατ' ἄλλο. Nam homo ille etiam Deus est, non tamē in sese, sed alterius naturę, nempe Verbi respectu. At humana natura Christi neque in sese, neque Verbi respectu est Deitas: sed si vbiq; esse dici potest, ideo tātùm dicitur, quoniā vnū cum Verbo ὑφισάμενον est, adeóque in ipso Verbo vbique præsente subsistit.

Q V.

Q V. *Quænam est igitur Sacramentalis coniunctio signi & ipsius Christi.* 48

R. Ea quæ naturæ Sacramentorum & eorundem fini conuenit. Naturam autem Sacramentorum hanc esse docuimus, vt per signa in externos sensus incurrẽtia noster animus quadam analogia, primùm quidem ad considerandas res significatas, deinde ad eas quę idcirco offeruntur spectãdę vt etiã apprehẽdãtur, per fidẽ sibiipsi magis ac magis virtute sancti Spiritus applicandas traducatur.

Q V. *In summa igitur qualis hæc præsentia est?* 49

R. Non certè quæ situm loci respiciat, sed quæ sit tota σχέσεως, siue habitudinis & relationis. Est enim Sacramentũ in earum rerum categoria, quæ ad aliquid referuntur.

Q V. *Velim hoc mihi facilius etiam exponi.*

R. Faciam si potero, ac nunc velim aliquantulum mutatis personis, me quidẽ interrogandi, te verò respondendi partes sustinere. An non sunt voces earum

rerum notæ, quas in quaque lingua certis sonis volumus audientium animis significatas?

QV. *Omnino.*

℟. Quid si contenderem reipsa præsens esse oportere id omne de quo sermonem fecero?

QV. *Id mihi quidem valde ineptum videatur, quum de rebus etiam præteritis & futuris, imò quæ nunquam etiam extiterint, aut nondum extent, aut nunquam fortasis extituræ sint, loqui possimus.*

℟. Quacunque tamen de re loquutus fuero, eam animo tuo verbis meis repræsentaro.

QV. *Ita est.*

℟. Sunt igitur res significatæ iis vocibus per quas significantur, non situ naturali, non denique suamet substantia, sed σχέσει quadam & habitudine adiunctæ, quatenus eas auditorum intelligentiæ veluti sistunt.

QV. *Explica id mihi quæso planius.*

℟. Similem prorsus Sacramentorũ & rerũ per Sacramenta significatarũ copulatio-

lationem esse scito. Nam, vt scitè dixit Augustinus, Sacramenta sunt veluti visibile aliquod verbum, vtpote quæ quod auribus verba, hoc ipsum oculis annuntient. Itaque ineptissimè de reali præsentia hîc quæritur, quũ realis (siue rei ipsius ac substantiæ præsentia in loco certo) & Sacramentalis præsentia, non quidẽ sint perpetuò repugnantes: sed tamen vsquadeò inter se differant, vt etiã quod reipsa nondum existit, Sacramentaliter tamen adsit: quò respiciens Paulus, Patres ait eandem escam comedisse, & eundem potũ bibisse, Christum videlicet. Et tantùm abest vt hæc Sacramentalis cõnexio sit inanis, vt cõtrà, sicuti suo loco dicemus, quauis naturali copulatione sit efficacior.

Q. V. *Istam autem relatiuam siue σχετικὴν copulationem quis efficit?* 51

R. Dei voluntas, verbo institutionis declarata.

Q. V. *Vin' igitur vt de Consecratione differamus?*

R. Malo certis de causis, ad tractationem de Cœna Domini totum hoc

differre.

QV. *Non igitur euacuãt signa, quicunque rem significatam sua substantia abesse docent?*

R. Non euacuant certè, nisi vanas esse voces dicamus, quibus res etiam absentes non minus quàm præsentes insculpimus audientium animis.

QV. *Quinam igitur euacuant?*

R. Qui Sacramenta docent esse duntaxat rerũ præteritarũ μνημόσυνα, aut mutuæ societatis Christianę tesseras, aut quę illis significantur, non etiam verè offerri, fidei instrumento veluti manu comprehendenda.

53 QV. *Iam autem mihi velim explicari, qualis sit tum signi, tum rei significatæ perceptio.*

R. De priore istius quæstionis parte ambigere te non posse arbitror. Quum enim res corporeæ sint signa, naturaliter quoque corporis organis à quibusuis accedentibus percipiuntur.

QV. *De altera igitur huius quæstionis parte, id est, de rei significatæ perceptione di-*

dicamus.

℟. Hanc rem significatam ostendi- 54
mus Christum ipsum esse cum ipsius do-
nis, quorum alia nostra fiunt per imputa-
tionem, alia verò in nobis ipsis efficiuntur
& inhærent. Dico igitur ista, quũ sint me-
rę qualitates, sicut soli animo obiiciũtur,
ita solo animi instrumento percipi, fide
tamen præditi, quę est vnica animi ad
Dei promissiones amplectendas manus.
Est itaque tota hæc perceptio modis o-
mnibus spiritualis. Nam & spiritualis est
naturæ quod percipitur, & spirituali or-
gano perceptio hęc peragitur, & spiritua-
lis est tota istius organi actio.

Q V. *At idem de Christo ipso dicere* 55
nequis, vtqui secundum neutram naturam
sit qualitas, aut aliud quidpiam eiusmodi.

℟. Atqui primùm omnium, quod ad
ad ipsam Verbi hypostasin attinet, impiũ
opinor fuerit, existimare ipsã aliter quàm
energia siue efficacitate à nobis partici-
pari. Nam alioqui Dij & ipsi natura eua-
deremus: ac proinde sic explicandũ esse
Petri locum, 2. Pet. 1. 4. & cæteros eiusmo-

di omnes alios, cũcti alicuius nominis interpretes consentiunt.

QV. *Assentior, & illud Manichaorũ deliriumà Serueto renouatum detestor, existimante sic Deum adesse rebus omnibus, vt etiam earum pars esset. Verùm quid de humana Christi natura pronuntias?*

R. Ne huius quidem essentiam, vt arbitror, existimas cum anima nostra reipsa connecti. Quid enim ista animorũ ferruminatione inepti⁹? Sed ne corporis quidẽ vllo organo apprehendi posse animę substantiam dixeris.

56 QV. *Idémne de corpore ipso Christi existimabimus?*

R. Corporea concedo quidem ego corporeis sensibus percipi, sed corporis Christi cum nostris corporibus contactũ, & cohærentiam realem, vt monstrũ quo nihil neque magis falsum, neque minus ad Sacramentorum finem accõmodatum fingi potest, penitus repudio, quicquid tandem isti delirio prætexatur.

QV. *Cedò igitur cur falsum id vocas?*

R. Quoniã cum veritate nunc quoque

que circũſcriptæ carnis Chriſti, nullo modo cõciliari poteſt: & toti Euangelicæ hiſtoriæ repugnat, vt ſuo loco oſtendam.

Q V. *Cur ad Sacramentorum finẽ minimè accommodatum?*

℟. Quoniam tota Sacramentalis actio ad æternam vitam penitus fertur, ideóque perceptionem hanc animo & fide, non autem corporis inſtrumento fieri neceſſe eſt: quamobrem etiam ſicut ſigna externa ſenſibus externis, ſic intellectui & fidei, res ſignificata proponitur.

Q V. *Atqui ſi ſubſtantiæ ipſius perceptionem tollis, pro corpore & anima Chriſti,* 57
ſeu pro ipſo Chriſto ſolam eius energiam ſubſtituis.

℟. At ego perceptionem ipſiuſmet Chriſti, minimè tollo. Quemadmodum enim vt cibo alatur corpus in hac vita, reipſa prius illum ſumi oportet: ita etiam ſtatuo (quod antea quoq; dixi) oportere nos ipſummet Chriſtum participare, adeóque nos vnum cum ipſo reipſa fieri, vt ex eo viuificus ille ſuccus in nos deriuetur. Neque enim dixit, Hoc eſt meritũ: vel, Hic

est fructus passionis meæ: sed, Hoc est corpus meum: neque dixit Paulus duntaxat nos baptizari in mortem Christi, sed etiã induere Christum: vel panem quem frangimus, esse communicationem beneficiorum ipsius, sed communicationem corporis ipsius. Ergo, vt ad rem redeam, non tollo ipsummet corpus vt energiã ipsius pro re significata substituam: (quod autẽ Sacramentis significatur, illud ipsum quoq; reipsa percipiendum datur) neque reipsa percipi Christum ipsum nego. Sed merè spiritualem & mysticam hanc perceptionem siue apprehensionem, siue applicationem, siue κοινωνίαν esse affirmo.

59 QV. *Cur Spiritualem vocas?*

℟. Primùm vt omnẽ corporis Christi cum nostris corporibus contactum, omnem localẽ cohærentiam & coexistentiam, illud denique oralis manducationis mõstrum vt merè Cyclopicum (quantuncunque aliis non minus fictitiis Inuisibilitatis, & illocalitatis commentis excusetur) penitus excludam. Deinde quòd animus & fidei vnius ore ac manu

nũ, quod ad nos attinet, peragatur. Est enim hic cibus non ventris, sed mentis, vt rectè ait Augustinus.

Q V. *Cur autem mysticam vocas?*

℟. Vt doceam ab vnica omnipotentis Spiritus virtute planè arcana & nobis incomprehensibili quę res etiam longissimè dissitas, arctissimè connectit, istam vnitionem qua simus caro ex carne Christi, & ossa ex ossibus Christi, spirituali videlicet quodam connubio, dependere: in eo Apostoli vestigia sequutus, qui magnum hoc esse mysterium exclamat. 59

Q V. *Istam verò κοινωνίαν cur vnitionẽ quoque appellas?* 60

℟. Quoniam tota Scriptura testatur nos vnũ fieri oportere cum Christo, Christóque incorporari, & veluti mẽbra cum eo ceu capite cõnecti, vt viuat ipse in nobis, & nos in eo. Hanc autem connexionẽ non esse tantùm consensionis cuiusdam, veluti quum dicit Lucas credentiũ fuisse cor vnum, & animam vnam: sed etiam naturalem, siue ipsiusmet Christi communionem sic intelligi rectè scripsit Cyrillus.

QV. *Mihíne verò commoda quapiam ſimilitudine myſterium iſtud alioqui incomprehenſibile poſſis vtrunque adumbrare?*

61 R. Poſſum profectò ex illa capitis & membrorum ſimilitudine, toties apud Apoſtolum occurrente. Quæſo igitur, Hæc brachia vndénam ſenſum & motum naturalem habent? certè à capite, cui per artuum commiſſuras naturali modo annectuntur, ſenſus alioqui & motus omnis expertia futura. Iã verò finge apud te quẽadmodum odores pixidis vnguenti valde odorati, res etiã lõgè diſſitas afficiunt: & magnetis vis occulta in ferrum agit, etiam procul remotas, ſic ineſſe tantã vim animalem huic meo capiti, vt etiãſi Conſtantinopoli eſſet collocatum, brachium autem meum vnum in India, alterum in Hiſpania eſſet, tamen cõuenientibus vinculis interuenientibus illa poſſet animare: finge, inquam, tale quiddam apud te, & iſtius in Chriſtum noſtræ concorporationis imaginem expreſſam habebis. Chriſtus enim ipſe ſecundum carnem neque

nunc

hunc alibi quàm supra istos cælos collocatus, in quos secundum carnem physico ac naturali motu ascendit, neq; prius inde quàm extremo illo die rediturus: credentes omnes in terris positos verissimè & efficacissimè sibi annectit, copulat, inserit, interueniente diuina illa virtute, quę nulla locorum interualla moratur: vt postea ex ipsius carne, in qua σωματικῶς habitat ipsa vita, & quæ Spiritum non accepit ad mensuram, viuificus ille succus in nos credentes promanet.

Q V. *Nullo igitur neque localimotu,* 62
neque cõtactu, nulla denique humanæ Christi naturæ in terris collocatione ad hanc κοινωνίαν opus est: neque hæc ipsius Christi communicatio eò tendit vt substantiarum commixtio fiat, sed vt ex Christo ipso spiritualiter sic nobis adiuncto, vis ipsius viuifica in nos promanet.

R. Apage, inquã, omnes illas falsissimas & ineptissimas nugas.

Q V. *At cur carnis potius quàm Deitatis mentionem in ista coadunatione* 63
facis?

℟. Hoc minimè facio, quasi Deitas nihil hîc agat, quum è contrario ne ipsa quidem caro Christi simpliciter & per se, quatenus caro est, sed quia caro Verbi est, nos viuificet, vt scitè loquuntur Patres. Sed in eo Christum magistrum sequor, carnis suæ & sanguinis sui nomina diserte in hoc mysterio nostræ cum ipso coniunctionis inculcantem, quia nimirum non nisi humanæ ipsius naturæ interuentu, & quatenus frater noster est, connecti cum ipso possumus.

64 QV. *Sed quemadmodũ solo animo fide prædito, dicis hunc cibum à nobis recipi, num etiam existimabimus ad animum duntaxat pertinere huius vnitionis fructum?*

℟ Minimé. Nam & in hac vita Christus fide nobis apprehensus, omnia tum corporis, tum animi bona suppeditat, quot & quantum opus est, ac tandem quoque totis nobis vitam æternam largietur.

65 QV. *Sed hanc nostram cum Christo coalitionem ad vnicúmne Cœnæ Dominicæ mysterium cum nonnullis restringis?*

℟. Absit. Nam & in simplici Verbo,

&

& in vtroque Sacramento, quanuis dissimili analogia, nec pari (nisi incredulitas nostra obstiterit) effectu, totus Christus fide spiritualiter apprehendendus nobis offertur, tantum abest vt à Cœna Domini Christum excludamus, sicut nonnulli calumniantur.

Q. *Nihilne igitur inter quotidianam illam Christi per fidem perceptionem, & eam quæ in Cœna Domini fit, interesse putas?* 66

R. Imò puto, nisi incredulitas obstiterit, multum inter illam quam merè spiritualem voco, & eam quæ Sacramentalis dicitur, interesse: non tamen quod ad rem ipsam, neque quod ad fidei instrumētum, sed in eo quòd ibi solo verbo, hîc verò etiam visibilibus signis fides admonetur, & res significata obsignatur. Deinde in eo quoque ista alteri præstat, quòd Verbum simplex plerunque vniuersaliter populo proponitur, Sacramēta verò singularibus personis præbentur, quasi ipsius Dei manu, quæ res ad particularem πληροφοριαν verè conducit.

67 QV. *Num verò existimas veteribus itidem Christum, ante ipsius in carnẽ aduentum, omniáque eius beneficia tum in simplici Verbo, tũ in adiunctis Verbo typis ac Sacramentis fuisse proposítum, fideque quoque apprehendendum?*

℟. Omnino sic statuo, Christus enim idem ipse totus tum Verbo audibili, tum verbis visibilibus, id est Sacramentis, in eundem finem proponitur.

68 QV. *Planè mihi exciderat quod extr quæsitum volui, Quomodo videlicet scribat Augustinus (vt tu citasti) Sacramenta non posse stuporẽ habere vt mira, si tã est admirabile Christi & Ecclesiæ vnitionis mysteriũ.*

℟. Iam ad id ego respondi, aliud esse de Sacramentis ipsis quęrere, quàm de iis quæ ipsorum interuentu Deus efficit. Sacramentorum igitur naturam siue Sacramenta ipsa rectè vetat Augustinus inter miracula numerare, quoniã minimè nouum est, nec contra rerum etiam naturalium ordinem, vt quidpiam propter analogiam, & ex hominũ etiam pacto, alicui rei ab ipsius natura prorsus diuersæ significandę

teribus i-
ẽ aduen-
e in sim-
typis ac
e quo-

us enim
ili, tum
is, in e-

od exte
t scribat
nta non
admira
ysteriũ.
ud esse
n de iis
cir. Sa-
Sacra-
s inter
nè no-
atura-
er ana-
alicui
ignifi-
candę



candę adhibeatur. Obſecro enim, annulo ſponſionem coniugij futuri: traditione clauis, miſſionem in poſſeſſionem ædium non modò ſignificari, ſed etiam ſanciri, quod tandem miraculum eſt? Eadem eſt prorſus, etſi non in ſpecie, tamen in genere, Sacramẽtorum ratio, quanuis omnem ipſorum etiam Angelorum captum ſuperent, quæ Deus in nobis, ſi rectè ijs vtamur, efficit.

Q.V. *Num verò quod de noſtris Sacramentis dixiſti, idem de veteribus illis cenſes?* 69

℟. Dico vtraq; in iis quæ ſũt, vt ita loquar, ex ipſius Sacramẽti ſubſtantia, prorſus conuenire, in nonnullis verò circunſtantiis differre.

Q.V. *Oſtende igitur conuenientiam.* 70

℟. Primùm conueniunt in cauſa efficiente. Nam Chriſtus vnicus noſter legiſlator, & hæc & illa conſtituit. Deinde in re ipſa interna. Idẽ enim Chriſtus fuit arbor vitæ in paradiſo, agnus occiſus ab origine mundi, Patrũ paſcha tollens mundi peccata, Petra ſpiritualis, Patrum eſca &

76

potus, quod de typis quoque & figuris, omnibus denique Sacramentis veteribus constituendũ est. Rectè enim ac verè Augustinus tractatu in Ioannem 26. Veterũ Sacramenta, inquit, quoad signa, fuisse à nostris diuersa, quoad significationem verò, paria. Conueniunt quoque in Verbo, quod ad substantiã attinet, etiamsi voces eædem nõ sint. Vtrobique enim Christũ & eius dona exhiberi, Verbo institutionis significatur, Patribus quidem venturum, nobis verò vt qui venerit. Sed & vtrobiq; idem instrumẽtum applicationis, & eadẽ fides in signis diuersis inuenitur, vt ait idẽ Augustinus tractatu in Ioannem 45. Idẽ quoque est vtrobique finis & effectus, siquidem Circuncisio fuit σημεῖον & σφραγὶς iustitiæ ex fide, Rom. 4. 11. & circuncisi fuerunt in Christo Patres circuncisione cordis ἀχειροποιήτῳ, Coloss. 2. 11.

71 Q. *Quibus autem rebus differunt?*

R. Signis primùm (quo nomine etiã ritus ipsos Sacramentales intelligo) quæ & spiritualiora & pauciora & minus operosa habemus. Deinde in Verbi perspicui-

ſpicuitate, quæ eſt in noſtris multò illuſtrior, vnde & aliud diſcrimen naſcitur in ipſa efficacitatis menſura. Quò enim eſt apertius Verbum, eò magis moueri, ac proinde eò efficaciorem fidem eſſe oportet. Quò pertinent illa eiuſdē Auguſtini verba, Sacramenta noſtra eſſe pauciora, faciliora, ſignificātiora, & magis auguſta: quibus & illud adiici poteſt, eo quoque iſta inter ſe differre, quòd illa fuerint ad Chriſti duntaxat aduentum vſque inſtituta: noſtra verò non niſi cum ſeculo finem accipient.

Q V. *Mihi verò, ſi ita eſt vt dicis, duabus maximis in rebus potior fuiſſe Patrum quàm noſtra conditio videtur. Primùm quòd plura, deinde quòd ſignificātiora habuerint fidei adminicula.* 72

R. Obſecro verò vtrius putaris maiorē corporis imbecillitatem, eiúſne cui gemini adminiculis ad greſſus firmandos ſit opus, an eius qui vnico baculo innitens, facilè quóuis gradiatur?

Q V. *Illum profectò duplo quàm iſtum iudicarim imbecilliorem.*

℟. Idem igitur de Patrum illorum conditione ſtatuito. Nec enim Sacramentorum multitudo meliorẽ eorum ſtatum, ſed contrà deteriorem fuiſſe oſtendit. Nã ne Sacramentis quidem fides noſtra, ſi per ſe ſatis eſſet firma indigeret.

73 Q V. *Sed in illis profectò fuiſſe apertior analogia ſignorum cum re ſignificata videtur. Nam certè caro & ſanguis cæſarum victimarum, apertius quàm panis & vinum carnem & ſanguinem crucifixi Chriſti repræſentabat. & Manna cælitus delabens, Verbi incarnationem, itémque aqua ex aperta rupe profluens, ſanguinem Chriſti ex vulnerato ipſius latere exundantem, quodammodo ob oculos ſiſtebat multò apertius, quàm panis fractio, & vini in poculũ effuſio.*

℟. Oportuit quidẽ myſteria illa nõdum peracta, ſed peragẽda, craſſiore quadã analogia Patribus repræſentari, quàm nobis, quoniam rebus futuris longè difficilius eſt credere, quàm peractis, & certa narratione teſtatis. Craſſius igitur illa ſigna & palpabilius, ſicuti dixiſti, rem futuram

ram significabant. Sed primùm in eo falleris, quod quò crassior est analogia, eò significantiorem esse arbitraris.

Q. *Quamobrem!*

R. Quoniam res Sacramentis significatæ sunt cæleſtes, quas caro & sanguis nõ docet, sed vnus ille veritatis Magister Spiritus sanctus: vnde dicuntur ab Esaia ipso Christo omnes credentes θεοδίδακτοι. Itaque analogiæ efficacitas à Verbo pendet, quo quænã ea sit, & quorsum tendat explicatur.

Q. *Placétne aliquam adhibere similitudinem, ex qua quid hoc rei sit planius intelligam.*

R. Placet profectò, vt Sophistis etiam os occludatur. Si mysteriorũ istorum prorsus ignarus vidisses aliquẽ circuncidi, quid tibi in mentem veniret?

Q. *Crudeles esse parentes in recens natum infantem, adeò quidem vt eos fuerim execraturus, nisi aliud eorũ cõsilium intelligerem.*

R. Intelligeres autem profectò, si hoc demõstrarem ex Dei mãdato fieri. Quòd

si etiã tibi per præputium sordes nostras natiuas,& earũ fructus significari ex Dei instituto declararem, quæ effuso sanguine suo sublaturus esset nasciturus ille Dei Filius, multò etiã magis profectò acquiesceres. Optares tamen,iã hoc ipsum edoctus,idem commodiore quadam ratione, & minore cũ infantis periculo posse monstrari. Quid si igitur simplex ablutio,illius cruentæ amputationis loco institueretur, nempe istam conditionem illi anteponeres? Eadem est cæsarũ victimarum ratio, quæ & operosa erat, & sumptuosa. Et quod ad illa prodigiosa attinet, Mannam videlicet cælitus delapsam, & aquam ex petra emanantem, sunt illa inter typos semel exhibitos, non inter Sacramẽta perpetua recensenda, quibus opponi nõ debent nostra Sacramenta, sed veritas in ipso Christo exhibito præstita.

QV. *Intelligo quod dicis, nempe quò simplicior est analogia, & quò magis perspicuum verbum quo significatio ipsa explicatur, eò præstantiorem esse nostram quàm Patrum conditionem. Sed tamen videtur illa*

ve-

veterum Sacramentorum analogia expreſsior.

R. Ne hîc quidem quid dicas, ſatis intelligis. Nam in Circunciſione quidem nihil præter amputationem vides: id eſt, alteram duntaxat beneficii Chriſti partẽ adumbratam. Nec enim duntaxat veterẽ hominem aboleri, ſed etiã nouum hominem in nobis naſci: neque duntaxat tolli quod Deum offendebat, ſed etiam tribui iuſtitiam, qua delectatur oportet. Aqua autem ipſa Baptiſmi, & ritus ipſi, án non multò expreſſius vtrunque nobis beneficium declarant? Idem ac multò etiam euidentius eſt epularum veterum, & noſtrarũ diſcrimen. Caro, inquis, expreſſius carnem repræſentat, quàm panis: & victimæ mactatio, Chriſti mactationem: Eſto. Verùm quorſum mihi Chriſtum mactatũ, niſi fiam eius particeps? nihil profectò amplius quàm dapes appoſitæ, quibus tamen non veſcar. Itaque noſtra Sacramenta, nõ quidem prætermiſſa, ſed minus tamen operoſè ſignificata priore parte, cuius plena fides nobis facta eſt in Euangelica hi-

ſtoria, alteram potiſſimam partem nobis velut ob oculos ſiſtit. Panis enim eſt profectò ad huius vitæ fomentum multo maior vſus, quàm carnis: & quũ vita ſit in ſanguine, arcerentur autem ab omnĩ ſanguinis vſu Patres, quem nunc in vino Sacramentaliter bibere non minus quàm carnem in pane Sacramentaliter comedere iubemur: quis non videt ipſis etiã ſignis & Sacramentalibus ritibus noſtra Sacramenta veteribus præſtare?

74 QV. *Alius mihi ſcrupulus ſupereſt. Quĩnam videlicet humana Chriſti natura nondum reipſa exiſtens, fuerit tamen veterum Sacramentorum res ſignificata, & ita quidem vt verè ſit Patribus communicata.*

R. Quid igitur putas illa Sacramenta veterum ſignificaſſe? Nec enim opinor te iis aſſentiri qui imagines quaſdam fuiſſe volunt, terrenis duntaxat promiſſionibus adiunctas.

QV. *Iſti certè impietati non aſſentior, quæ populũ Dei in haram porcorum transformat. Sed quæro recténe ſatis ſentiant qui, quæ dona in Chriſto Eccleſiæ conferuntur,*

tur, quibus si careat, æternæ vitæ particeps esse nõ possit, ea putãt veterũ quoque Sacramentis promissa & donata: sed ea tamen non exhibita, quæ nondum existebant.

℟. Mirè tu quidem istorum opinionem durissimam emollis. Ego verò non dubito dicere cum Apostolo, eandem escam illos atque nos verè comedisse, & eundem potum bibisse, nempe Christum ipsum Deum & hominem.

℣. *Quînam?*

℟. Primùm quia sic disertè loquitur Apostolus.

℣. *Atqui Apostolus non dicit totidem verbis Patres eandem atque nos escam edisse, aut potionem eandem bibisse, sed eandem potius inter se, quanuis dissimili euentu: sicut hodie tum pij tum impij eadem Sacramenta participant, alij quidem ad salutem, alij verò ad iudicium.*

℟. Sophisticum hoc effugium quatuor rationibus refellitur. Primùm, q̃ nõ esset satis firmũ Pauli argumentum, si Sacramenta statuãtur reipsa imparia. Deinde quoniam hanc ipsam escam & hunc

potum disertis verbis pronuntiat Apostolus, esse Christum. Tertiò, quoniam permutat ipsa Sacramentorum veterum & nouorum nomina, noua veteribus attribuens, vt illam in re significata & vsu ταυτότητα declaret. Quartò, id liquet ex disertis tum aliorum tum præsertim Augustini verbis, tractatu 45. in Ioannem, & De pœnitētiæ vtilitate, Epist. 102. & alibi. Id verò si conuenit istudtypis, multò magis de Sacramentis perpetuis, & ad hoc vnū ipsum significandū institutis existimādū est. quo sensu dixit Ioan. Baptista, Ecce agnus qui tollit peccata mundi: & Paulus, Pascha nostrum immolatus est Christus.

76 QV. *Sed quid si excipiam hæc omnia nihil aliud significare quàm solā efficaciam Christi venturi?*

R. Atqui hæc efficacia tam pendet ab iis quæ nostri causa passurus erat Christus quàm ab ipsomet Christo. Cur igitur magis offenderis, quum dico ipsam Christi humanam naturam, quanuis nondum existeret, tamen fuisse Patribus in Sacramento verè datam, & in ipsis obsignatam,

tam: quàm quum Patres ipſius nondũ exiſtẽtis carnis iuſtitia iuſtificatos, & Spiritu re ipſa ſanctificatos fuiſſe dico? Hæc enim eſt Chriſti beneficiorũ ſumma. Deinde quum putas fuiſſe eorũ fructuum qui ex carne Chriſti (ſiue ex Chriſto ſecundũ carnem ad nos emanãt) participes factos Patres, excluſa ipſius Chriſti & eorũ quæ noſtri cauſa poſtea pertulit communicatione, perinde facis ac ſi de corporali hac vita diſſerens, velles cibo nutriri, qui tamẽ ciborũ ſubſtãtiã nullatenus ſumerent.

Q. V. *In ſumma igitur quid hac de re ſtatuendum dicis?* 77

R. Nempe & coram Deo ipſo promittente, & coram fidei oculis fuiſſe perpetuò præſentem Ieſum Chriſtũ, & omne ſalutis noſtræ peragendæ myſterium: quæ ille quidem credentibus impartiretur, credentes autem tum in Verbo ſimplici, tum in adiunctis Verbo Sacramentis, verè & efficaciter amplecterentur. Vidit enim diem Domini Abraham fidei oculis, quæ eſt rerũ quæ nondũ ſunt ſubſiſtentiaid eſt, cui iam exiſtunt quodammodo

quæ re ipsa non sunt. Fatear tamen rẽ ipsam, id est, ipsum Christum actu nõ fuisse illis exhibitum secundum carnem, siue de facto, vt loquuntur, sed de iure tãtùm.

QV. *Quid autem istud rei est?*

R. Loquar igitur apertius, & dico, nũc quidẽ exhibitum Christũ cũ omnibus suis donis, & in simplici verbo, & in Sacramentis Noui fœderis significari simul, & nobis prẹberi fide spiritualiter, sicuti diximus, apprehendendum ad iustitiã, sanctificationẽ & vitã ẹternã. Patribus verò ius in eũdem Christũ nasciturũ, & in omnia eius dona fuisse & simplici Verbo & adiectis ei Verbo promissionib⁹ tributũ: ac proinde iam tum fuisse Patres eiusdem Spiritus virtute, & eadẽ fide: membra nascituri Christi verè habitos, & in eo venturo itidem verè iustificatos, & sanctificatos fuisse: differre denique illorum conditionem à nostra, non re: sed (vt loquuntur in scholis) secundum plus & minus. Christus enim vnicus est, & eadem sunt quæ nostri causa præstitit, eadem quæ ab ipso expectamus, & fides eadẽ est, siue in futura

futura illa, siue in nondum existentia, siue iam præterita respiciat.

Q.V. *Quum loquutiones Sacramentales considero, videor mihi inuenire quod tibi obijciam, aduersus ista quæ dixisti de signorum & rei significatione, itémque de nostra cum Christo communicatione disseruisti.* 77

R. Formulæ loquendi non modò Sacramẽtales, sed etiam typicæ, partim sunt propriæ, partim figuratæ.

Q.V. *Quænam propriæ?* 78

R. Quibus quod signi est signo, itidémque quod rei est, rei distinctè tribuitur: vt quum Circuncisio dicitur signum fœderis, Genes. 17.11. itémque σημεῖον & σφραγὶς iustitiæ fidei, Roman. 4.11. & agni sanguis, signum. Exodi 12.13. & Sabbatum signum reuocans in memoriam creationẽ mundi, & obsignans peculiarem populi Israelitici consecrationem, Exodi 31.13. & 17. & duæ illę laminę, signum in memoriã reuocans illam Dathanis & Abironis cõiurationẽ, Numer. 16.38. Sic ministerium hominis exterius seorsim ab interno cõ-

e.j.

sideratum, nihil esse dicitur, 1.Corinth.3. 7.Sic Baptismus aquę exterior, ab interiore Spiritus efficacia propriè distinguitur, 1.Pet.3.21.

QV. *At nusquam inuenio Baptismo vel Cœnæ Domini attributam signi vocem.*

Rx. Ergo Sacramenta esse nega. Nam certè Sacramenta signa sunt. Imò & ipsi Pontificij substantiam aquæ, & ritus Sacramentales Baptismi, fatentur esse signa: & in suo illo Altatis sacramento, saltē species pro signis statuunt. Præterea res ipsa clamat verum esse quod testatur Irenæus, (vt cæteros Patres omittā) de re terrena & cælesti, quarū illa sit istius signum necesse est.

79 QV. *Quænam autem sunt Sacramentales formæ figuratæ?*

Rx. Primùm, quibus elementi nomē ipsi rei significatæ attribuitur, vt quum Pesah dicitur esse agnus, Exod. 12.11.

QV. *Atqui non desunt, qui hoc loco dicant Pesah propriè dici de ipso transitu.*

Rx. Esto. At certè transitus ipse co-

med

medi non potest. Ergo ibi saltem fateantur agnum ipsum dici Pesah, vbi verbum Pesah dicitur apparari & comedi. Sic Christus à Ioãne vocatur Agnus ille Dei, & à Paulo dicitur Pesah, 1. Corinth. 5. v. 7. Christiani sunt vnus panis. 1. Corinthiorũ 10. 17.

Q V. *Ista mihi quidem sufficiunt. perge, quæso, alias species explicare.* 80

R. Altera species est, isti ex aduerso respõdens, qua rei ipsius appellatio tribuitur elemento. Sic lapis à Iacobo erectus, dicitur Bethel, Genes. 28. 22. Sic septẽ vaccæ & septem spicæ sunt septem anni, Genes. 41. 27. Sic Arcæ fœderis innumerabilibus locis tribuitur nomen Iehouæ. Imò & ipsi Mosis altari. Exodi 17. 15. Sic linguę Chanaanis nomine intelligitur puræ religionis professio. Esaiæ 19. 18. Sic columbę tribuitur nomen Spiritus sancti, Ioann. 1. 33. Sic denique petra erat Christus.

Q V. *Atqui non petra illa corporea, sed illa demum petra spiritualis dicitur fuisse Christus.*

R. Agnosco Sophisticum effugium,

92

quasi videlicet de re ipsa, non de signo istud dicatur. Sed quid isti ridiculi Sophistæ responderint, si quæsierim annon tamen Paulus ad illam petram respexerit, ex qua riuus defluxerit? nihil profectò ex quo non conuincatur ipsorum sophistice. Nam eò deueniant necesse est, vt fateantur Christo, petræ corporeæ respectu, tributum fuisse petræ spiritualis, id est, vt interpretantur, spiritualiter, & quatenus typus erat consideratæ nomen illud propter illam verènaturalem rupẽ. Itaque suis sese laqueis induũt, vel fateri cogũtur Christum vocatum rupem, quoniam spirituali significatione ab illa rupe adũbrabatur. Sed quid istis Augustini verbis facient, Tractatu in Ioannem 45? *Videte fide manente signa variata, ibi petra Christus, nobis Christus quod in altari ponitur: & si speciem visibilem intendas, aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt.* Et Epistola 102, *Aliquando res quæ significat, nomen eius rei quam significat, accipit. Sic enim & petra Christus, quia Christum significat.* Idem de-

denique, petram ſpiritualem, Pſal. 77. nō ipſum Chriſtū (vt illi) ſed quę ſpirituale aliquid ſignificaret interpretatur.

Q.V. *Perge igitur.*

℟. Sic denique panis ille dicitur Corpus illud traditum pro nobis: & poculum illud, ſanguis ille fuſus pro nobis.

Q.V. *Quis verò ſic iſtud explicat?*

℟. Theodoretus in Eraniſta inter cæteros, expreſſis verbis. qua de re ſuo loco diſſeremus.

Q.V. *Nunquid amplius?* 81

℟. Tertia ſpecies figuratarum Sacramentalium loquutionū ea eſt, qua ſignis vel inſtrumētis externis tribuitur effectū rei ſignificatæ. Sic in Paradiſo plātata dicitur arbor vitæ, & arbor ſcientiæ boni & mali. Nec enim vita aut ſciētia arboribus illis inerant, veluti ſi arborem febris nomines, quę febrē efficiat vel expellat: ſed erant eæ arbores duntaxat efficacia illorū effectorum ſymbola. Eodem tropo Circunciſio vocatur fœdus, cuius tantùm erat ſignū, vt ipſemet Deus explicat, Gen. 17. 11. & 14. & poculum illud vocatur No-

54

uum fœdus in sanguine, Lucæ 22.20. Sic Baptismus vocatur lauacrum regenerationis, Tit.3.5. Sic Ecclesia dicitur mundata aquæ lauacro, Ephes.5.26. Sic verbum externum, quum sit duntaxat virtutis diuinæ veluti vehiculum, passim verbum vitę, & semen incorruptibile dicitur: eíq; mundatio & sanctificatio tribuitur. Sic sacrificia passim dicuntur expiationes, quum tamen sanguis ipse hircorum & taurorum neminem sanctificarint. Sic & ipsi Sacerdotes dicũtur sanctificare, & expiare peccata, Leuitici 16.30. quum solius sit Dei remittere peccata, & mundum facere. Sic dicuntur Euãgelij ministri ligare & soluere, Matth.18.18. & remittere peccata, Ioann.20.25. Imò etiam semetipsos & alios seruare, 1.Timoth.4.16. qua de re, si libet, consule Augustinum, Quæst.in Leuitici cap.84.

82 QV. *Superéstne aliqua præterea Sacramentalium troporum species?*

R. Supereſt quarta, illi tertię ἀντικειμένη, qua fit videlicet, vt è cõtrario id quod proprium signorum est, ad rem significa

tam

tã trahatur. Hinc illa cordis, siue interior circunciſio. Sic dicitur caro ſiue corpus Filii hominis comedi, & ſanguis eius bibi, quæ quũ ſint actiones corporeæ, non poſſunt aliter, quàm tranſlatitiè de re ſignificata, id eſt de Chriſto ipſo, ſiue in ſimplici verbo, ſiue in Sacramentis præbito intelligi, ne facinus (vt rectè inquit Auguſtinus) nempe Cyclopica manducatio, præcipi videatur. Hinc illę Patribus vſurpatæ formulæ, quibus dicitur corpus Domini in altari iacere, imò etiam videri, tangi, in os intrare, fieri, in terram cadere, conſumi.

Q V. *Corpus igitur metaphoricum, & Cœnam metaphoricam ſtatuis?* 83

R. Tales ſunt illæ putidę quorũdam calumniæ, quas ſuo loco refellemus. Nunc enim ago in genere de Sacramẽtis. Interea hoc ſcito, nos neque Chriſto aliud corpus, quàm vnicum illud verum pro nobis traditum affingere: neque ſacratiſſimam illam actionem in chimęras transformare, ſed hoc tantùm dicere, analogia fidei fretos, illam ipſiuſmet Chriſti perceptio-

nem, quæ prorsus est animi ac fidei, (cibus enim hic est mentis, non ventris) nō propriè, sed translatitiè corporeis edendi & bibendi actionibus declarari.

84 QV. *Idem ergo tibi est credere atque Christum spiritualiter manducare?*

℟. Rursum me cogis à scopo aberrare. Si credere accipis pro ipsius fidei actione, assentior. Sin pro ipso fidei habitu, tunc quemadmodum dentes comestionis instrumentum, ab ipsa comestione distinguis: ita necesse est, vt ipsam fidem à Christi per fidem apprehensione, quæ spiritualis est manducatio, discernas.

QV. *Perge igitur.*

℟. Absolui quidem ego quæ ad loquēdi formulas Sacramentales tum proprias, tum figuratas spectant.

85 QV. *Sed quum dixeris Sacramenta simplici Verbo adiecta fuisse illustrandarum promissionum causa, mirantur multi tropos istos in Sacramentis adhiberi, in quibus potius oportuit quàm maximè propriè & perspicuè loqui, ne quis hallucinaretur.*

℟. Hîc, quęso, vide quæ sit spiritus erroris

roris in calumniando audacia, & in persuadendo (quum Deo libuit) efficacia. Ponunt isti obscuriores esse figuratas loquutiones quàm proprias: at contrà non obscurandæ, sed illustrandæ orationi tropos rectè adhiberi oratores etiam ipsi docent, & ea de re multa præcipiunt. Rectè autem adhibentur quum id quod dictum volumus, & dignitate quadam afficiunt, & melius infigunt audientium animis, quàm si quis simplici oratione vteretur. Sacramenta verò quum idcirco instituta sunt, vt ab eo quod natura sunt, ad aliud quidpiam, quod ex instituto Domini significant, intelligentiam nostram traducant, siue (vt Augustini verbis vtar, cõtra Maxim. lib. 3. cap. 18.) vt non quid sint, sed quid ostendant, attendatur: quoniam signa sunt rerum aliud ostendentia, & aliud significantia: quis non videt multò melius naturã & vsum Sacramentorum infigi audientium animo, quum signa idipsum esse dicuntur quod significant? Ponamus exempli gratia, vt in superiore exemplo permaneamus, Prætorem à quo

tibi addicatur domus posſeſſio', clauem eo nomine tradentem ſic te compellare, Hæc clauis eſt domus illo loco ſita, quam tibi in manus vtẽdam fruẽdam trado. An non ea te oratio multo magis confirmabit, quàm ſi diceret: Hęc clauis eſto tibi ſignum, quòd te mittam in illius domus poſſeſſionẽ. Hæc autẽ ratio à Theodoreto in Eraniſta his verbis explicata eſt. *Voluit* (inquit) *Chriſtus vt qui diuina hæc myſteria* (loquitur autem de Cœna Domini) *participarent, non ad naturam rerum quas vident attendere, ſed per hanc nominum mutationem* (qua fit videlicet vt ſigno tribuatur rei ſignificatæ nomen) *credere ei mutationi quæ ex gratia facta eſt.*) id eſt rem illam conſiderare non qualis eſt natura, ſed cui rei ſignificandę ex Dei mandato adhibeatur. Et Auguſtinus Quæſtione in Leuit, 57. *Solẽt* (inquit) *res quæ ſignificant, eius rei, quam ſignificant, nomine ſignificari: Hinc dictum, Petra erat Chriſtus. Non enim dixit: petra ſignificat Chriſtum, ſed tãquam hoc eſſet, quod vtique per ſubſtantiam non erat, ſed per ſignificationem.* Sed de

de his aliâs plura, vbi ex professo de verborum institutionis Cœnæ Domini genuina explicatione sic differemus, vt contrarias etiam expositiones refellamus.

Q V. *Velim ergo mihi explices quis sit istarum Sacramentalium formularum sic à te explicatarum vsus.* 86

℟. Sic docemur, Sacramentis neque minus, neque plus tribuere quàm par sit. Minus autem illis tribuunt quàm par sit, tum qui μνημόσυνα quædam duntaxat esse volunt, exclusa rei ipsius præbitione & perceptione: quod dogma eo tollitur ℣ & rei significatæ vel effecti ipsius nomen ipsi signo, & vicissim ipsi rei significatæ, aut eius effecto, appellatio signi tribuatur, sicut prolatis exemplis ostendimus. Multò minus etiam quàm isti tribuunt Sacramentis, qui externę duntaxat professionis tesseras esse volunt: quod dogma prorsus impium est, & eadem ratione tollitur. Rursus autem propriis loquutionibus docentur non plus tribuere Sacramentis quàm par sit, & miserrimã illam seruitutem (vt loquitur nõ semel Augustinus) vitare, qua

fit vt signa pro rebus accipiãtur, libro De doctrina Christiana 3.cap.5.& 7.

87 Q.V. *Sed obsecro, quot esse putas Ecclesiæ vniuersæ Christianæ instituta Sacramenta?*

R. Duo, Baptismum, & Cœnam Domini.

Q.V. *Sunt qui multò plura recenseant, etiam inter eos qui ab Antichristiana Romana Ecclesia defecerunt.*

R. Concedo: sed nihil agunt Pontificij, qui hanc occasionem arripiunt nos calumniandi, quum ne inter ipsos quidem Papisticissimos Theologos de numero Sacramentorum cõueniat, inter nos autem nullum sit in re ipsa dissidium, vt suo loco ostendemus.

Q.V. *Conueniat igitur inter nos quousque, me progredi in quærendo oporteat.*

R. Etsi quærenti potius id conuenit quàm respondenti, tamen quando ita libet, significo placere mihi vt contrariarũ sententiarum disceptatione dilata, quid mihi de quaque quæstione videatur audias: sic tamen vt contrariis rationibus bre-

breuiter, prout res tulerit respondeam, tantisper dum singula expendamus, quæ pro contrariis opinionibus dicuntur.

Q V. *Sint ergo nobis duo tantùm eiusmodi Sacramenta. Quæro autem priore loco quid sit Baptismus.* 88

℟. Immersionem in aquam declarat ista vox propriè, & à cõsequenti, ablutionem: cuiusmodi multæ fuerunt institutæ in Lege, Hebr. 9. 10. ad quas additæ sunt postea Pharisaicæ, quarũ fit mentio Marc. 7. vers. 4. Per Ἀντονομασίαν verò accipitur pro Sacramento, quo palàm Christo auctoramur. Translatitiè verò declarat piorum afflictiones, & grauissimas aliquas calamitates, ipsámque adeò crucem, vt accipitur Luc. 12. 50. sumpta fortassis inde trãslatione, quòd passim in Psalmis præsertim, aquarum & gurgitum nomine intelliguntur miseriæ, quibus sit quispiam velut absorptus. Denique & pro donorum Spiritus sancti effusione accipitur: vt Act. 1. 5. & pro doctrina Ioannis, qui primus baptizauit: vt Act. 18. 25. & 19. 3.

Q V. *Baptismũ igitur pro priore Chri-* 89

stianæ Ecclesiæ Sacramento acceptum quomodo definis?

℟ Definio sacram esse actionem à Christo mandatam Ecclesiæ, n qua congruente signorum analogia, Christum ipsum cum ipsius donis omnibus ad salutẽ necessariis, spiritualiter & per fidem quodammodo induimus, abluimur, morimur, sepelimur, & resurgimus, mutuáque nostra in Christo consociatio sancitur.

90 Q V. *Quænam verò hæc signa sunt?*

℟. Elementale signum est aqua. Ritus autem Sacramentales sunt tres: immersio in aquam, mora in aqua, & emersio ex aqua.

91 Q V. *At multò plura elementa, multóque plures ritus iam olim in Baptismo sunt adhibiti.*

℟. Respondeo ex Cypriano, non attendendum quid aliquis ante nos fecerit, vel faciendũ putauerit: sed quid Christus, (qui ante omnes est) prior fecerit ipse, & aliis faciendum tradiderit. Sed de his agemus postea, quum ad contrariarũ opinionum refutationem ventum erit.

Q V.

Q. V. *Quid repræsentat aqua, & quanã eius analogia cum re significata.* 92

℟. Sanguinem ipsum Christi significat, & συνεκδοχικῶς totum ipsum Christũ, qui effuso sanguine suo, & malitiam illam natiuã eluit in nobis, & pro peccatis nostris satisfecit. Analogia verò aquæ (elementi ad eluendas sordes facti) cum sanguine Christi (cuius vnius effusione sordes omnes peccati abluuntur) per se constat.

Q. V. *Quid ille triplex ritus?* 93

℟. Oportere videlicet nos spirituali virtute, ac modo, veluti in ipsum sanguinẽ Filii Dei immergi, cuius vi paulatim illa ablutio peragatur, vt sic tandẽ purificati emergamus: sicuti qui sordidati sũt iis præsertim maculis, quæ facilè abstergi non possunt, aqua perluantur oportet eousque, vt nitorem recipiant.

Q. V. *Quum id verò Legalibus etiam purificationibus significaretur, & in ijs qui ritè & cum fide illis vtebantur, idem beneficium in Christo nascituro verè præstaretur, quid necesse fuit illas abrogari, vt Baptismus substitueretur?* 93

℟. Primùm oportuit abrogari, vt is crederetur aduenisse, quem illę vēturum adumbrabant. Deinde quum essent appendices sacrificiorum pro peccato, vnà aboleri debuerunt. Postremò illarum imperfectionem ostendebat repetitio, ideo succedere oportuit aliam non iterandam ablutionem, illius, semel in æternum præstitæ, Sacramentum.

95 Q V. *De sanguinis verò antiqua aspersione quid sentis?*

℟. Crassius quidem illam repræsentasse Christi venturi sanguinem; sed minus tamen appositè, quū sanguis non tollat maculas, quin potius res aspersas inficiat.

96 Q V. *Quid significas verbo induendi?*

℟. Sic loquitur Apostolus, vt ostendat Baptismo adiunctam esse vim illā Spiritus, qua fit vt Christo ipsi velut insinuemur, adeóque cum ipso in vnum corpus coalescamus, quod est præcipuum Baptismi effectum. Galat. 3. 27. Et mihi quidem videtur hęc loquendi formula inde orta, q adulti baptizandi vestes exuerent, vt vel

alias

ari, vt is cre
turum ad-
ent appen-
, vnà abo-
m imper-
ideo suc-
ndam ab-
m præsti-

ua asser-

præsen-
; sed mi-
non tol-
rsas in-

luendi?
olten-
lã Spi-
sinue-
corpus
Bapti-
idem
rta, q
t vel
alias

alias induerent: vel alii facti easdē resume rent, ad quam analogiam respexit idem Apostolus Colos. 3.9. & Ephes. 4.22.

Q V. *Quid vocabulo Abluendi significas?* 97

R. Effectum istius indutionis duplex, vnum quo natiua illa labes, quam Paulus peccatum peccans appellat, aboletur in nobis: alterum quo illius fructus, id est peccata, nobis remittuntur, siue non imputātur, persoluta pro illis à Christo pœna quā merebamur: & in eorum locum substituta etiam ipsius obedientia, qua Legem pro nobis impleuit.

Q V. *Quorsum verò dicimur mori, sepeliri, & resurgere in mortem, sepulturam, & resurrectionem Christi?* 98

R. Ita, authore ipso Apostolo, Rom. 6.4. & deinceps, declaratur rituum illorum Sacramentalium & analogia, & effectum. Sic enim docemur totam nostram fidem in vnum Christum ferri pro nobis mortuum, sepultum, & à mortuis in vitā æternam, quatenus frater noster est, excitatum. Immersio igitur in aquam sistit ob

oculos illum gurgitem iudicii diuini, quo propter peccata nostra sibi imposita Christus est veluti absorptus. Mora sub aqua quantulacunque sit, veluti spectandũ nobis præbet ipsum mortis vinculis in sepulchro detentum. Emersio verò ex aqua, veluti viua est pictura ipsius victoriæ, qua factum est vt mortuus mortem, sepultus corruptionem superarit, vt ipsi quoque fide insiti (cuius insitionis pignus est Baptismus) fiamus eius virtutis participes qua omnia ista in sese primùm peregit.

99 Q V. *Atqui in eo non extitit vetus ille homo, corruptio videlicet: neque eius fructus, id est peccata.*

℟. Neutrũ certè istorũ fuit in ipso inhærens, vt qui fuerit omnis vitii expers, & ab ipso conceptionis momento sanctissimus. Venit enim vt peccatum aboleret. Vtrunque tamẽ habuit super se, mortalitate & infirmitatibus omnibus per peccatum in nostrã naturam inuectis (excepto ipso peccato) assumptis, ac deniq; pœna qua reconciliati sumus, ipsi imposita. Hæc autem omnia nobis in hoc Sacra-

mento

mento communicari ritus ipſi docent,no ſtra corruptione in nobis emoriente,quaſi in ipſius Chriſti mortem implantata,no ſtríſq; peccatis cũ ipſo mortuis: cuius virtutis ac beneficij ſenſim ſeſe in nobis exerẽtis progreſſum, mora illa quæ inter immerſionem & emerſionem intercedit,veluti nobis depingit, ſepulturæ Chriſti reſpondẽs. Succedit denique emerſio, nouã cõditionẽ noſtrã,abolita priore,ſignificans,& reſurrectioni Chriſti reſpondẽs: qui ſicut morte ſuperata,& mortalitate in ipſo ſepulchro abſorpta, in vitã æternam ſurrexit, ita in nobis tandem penitus eadem perficiet,quorum nunc arrhabonem habemus.

Q V. *Iam intelligo cur vocetur Baptiſmus lauacrum regenerationis, cur baptizemur in remiſſionẽ peccatorum, cur dicatur Eccleſia lauacro aquæ mũdata, cur denique Baptiſmus ab Auguſtino Sacramentum fidei, & à Tertulliano obſignatio fidei vocetur. Sed nondum intelligo quod adieciſti de mutua in Chriſto conſociatione.* 100

R. Eſt hoc quoque effectum Baptiſmi

excellens, sed tamẽ secundariũ, ab altero videlicet priore dependens. Eadem enim in vnum eundémque Christum baptizandi formula, Christianos tum à reliquis hominibus seiungit, tum inter se quasi vnũ sub eodem capite corpus consociat, vt loquitur Apostolus, 1. Cor. 12. 13.

101 QV. *Velim etiam aliquid de Baptismi antitypis cognoscere, ac primùm quidem quid ἀντίτυπον vocetur.*

R. Ἀντίτυποι vocantur typi typis correspondentes, latè accepto typorum nomine, quo alioqui non Sacramentum aliquod propriè sic appellatũ declaratur, (id est actio sacra toti Ecclesię vt ordinarium quiddã mandata, quæ sit promissionis vitæ æternę sigillum) sed quidpiam quod simpliciter Deus proposuit in hunc etiam vsum, vt aliud quidpiam sub Nouo fœdere implendum significaret. Sic quod Noe seruatus est ex aquis, & per aquas ipsas in arca, typus fuit Baptismi quo Ecclesia in Christo veluti concluſa seruatur. Sic Israel transiens per mediũ mare, & inde saluus emergens, incumbente cælitus nube,

be, repræsentauit eiusdem Baptismi mysterium.

Q.V. *Cur obsignandi verbo vteris?* 102

R. Vt eorum calumniis occurrã, qui nos dicunt Baptismum accipere tantùm vt μνημόσυνον, vel dũtaxat veluti discrimen quo Christiani à non Christianis distinguntur: quum Sacramentum succesſerit Circuncisioni, quæ non modò fuit σημεῖον, sed etiam σφραγὶς iustitiæ ex fide.

Q.V. *Velim igitur sigillatim causas, partes, & effecta Baptismi mihi recenseas.* 103

R. Causa efficiẽs, est Christus. Materia exterior & visibilis, est aqua cum ritibus Sacramentalibus: interior & inuisibilis, Christus ipse cum suis donis. Forma exterior, est ipse administrationis modus à Christo institutus: interior, Baptismus Spiritus: partes essentiales, sunt signa & res significatæ. Partes integrales, elementum, Christus ipse cum suis donis, Actio, Verbum.

Q.V. *Quódnam autem est hoc Verbum?* 104

R. Docete omnes, baptizantes eos in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti,

Matth.28.19. Prædicate Euangelium omni creaturæ, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit. Mar.16.15.& 16.

105 Q V. *Quid significat In nomen?*

R. Sic declaratur Baptismus esse solenne iusiurandum quo baptizandus sese totum addicit vni Deo & trino: itémque solennis actio in qua Deus testatur se recipere in manum suam, eum qui baptizatur, vt verè hæc formula sit totius fidei Christianæ velut ἀπότμη, cũ solenni illius obsignatione.

106 Q V. *Videntur tamen Apostoli quidpiam in ea formula immutasse, vt qui dicantur in nomen Christi baptizasse.*

R. Imò his verbis non significatur qua formula baptizarint Apostoli. Quis enim probabiliter censuerit Apostolos in illa, disertis præscriptísve verbis expressa magistri præceptione vel tantillum immutasse? Et ex tota Ecclesiastica historia formulam illam perpetuò obseruatam fuisse constat.

Q V. *Quorsum igitur istud, In nomen Christi?*

R.

℟. Nempe vt ipse finis, ipse fructus, ipsa denique res Baptismi declaretur.

Q. *Qui sunt autem fines Baptismi?* 107

℟. Hoc optimè intelligetur ex effectis.

Q. *Quænam autem sunt Baptismi effecta?*

℟. Si Baptismum vocas id duntaxat quod agit minister, effectum Baptismi nihil est.

Q. *Durum hoc mihi videtur.*

℟. Atqui sic loquitur Paulus, quum inquit eum qui plantat, & qui rigat, nihil esse. Res autem sic habet. Ministerium hominũ nõ est sanè nihil, imò est illud ipsum quòd qui aspernatur, Deum ipsum aspernatur. Sed (vt antè dixi) sic vtitur Deus hominum ministerio, vt tota vis efficiens in Deo ipso resideat: neq; idẽ hîc eueniat atque in iis quibus Deus ad hanc mortalem hominum vitam vtitur. Patres enim in generãdis filiis talia sunt Dei organa, vt vis generatrix corporis, & animæ infundendæ susceptrix, sit patribus & matribus insita: & in alimonia & depellendis morbis

idem Deus facultates ſuas cibis & medicamentis indidit. At in iis quæ ad ſalutem hominũ in ſeſe perditorum ſpectant, ſic vtitur eorũ opera quos ad Verbi ſalutis, & Sacramẽtorum adminiſtrationẽ adhibet, vt præter declarationem voluntatis eius à quo mittuntur, nihil prorſus ipſi efficiãt. Effectum igitur miniſtri hoc eſt, vt aqua effuſa madefaciat eum qui baptizatur: aquæ autem effuſæ, ſeu communis, ſeu Sacramentalis (ſi in ſeſe ſpecterur) hoc vnicum effectũ eſt vt eius corpus qui ea perfuſus eſt, madefiat & abluatur. At ille qui interius, Spiritu (id eſt diuina ſua virtute) baptizat longè alia, diuina nimirum prorſus, ac cæleſtia, ſolus perficit (quanuis interueniente miniſterio) nempe peccatorũ remiſſionem ex gratuita imputatione, & regenerationem, quæ eſt effectum Spiritus ſancti in nobis inhærens, & ſenſim in nobis peccatum abolens.

108 Q. *Diſtinguis igitur inter peccatum & peccata?*

R. Omnino. peccatum enim vocare ſolet Apoſtolus natiuam illam corruptionem



nem totius hominis, siue carnem Spiritui oppositam, Ioann. 3. 6. & alibi sæpe: quę & per se peccatum est, quum à Lege Dei dissideat, & ad peccandũ impellit, vnde peccatum peccans dicitur. Rom. 7. 13. Peccata verò dicuntur omnes mandatorum Dei transgressiones, quas in nobis videlicet parit illud peccatum, sicuti maritus in sua coniuge liberos gignit. Rom. 7. 5.

Q. *Quid igitur vocas peccatorum remissionem?* 109

R. Beneficium illud maximum, quo fit vt imputata nobis satisfactione & obedientia Christi, non modò illæ transgressiones nobis non imputentur, sed etiam in earum locum impletio Legis à Christo præstita, substituatur.

Q. *Regenerationem verò quid appellas?* 110

R. Aliud eiusdem Christi donũ, quo fit vt illa quoque corruptio, tum quod ad reatum attinet, nobis non imputetur, tum in sese quoque sensim corrigatur.

Q. *Num verò vis illa Spiritus sensim hunc veterem hominem in nobis abolẽs, &* 111

nouum creans, ab ipso Baptismi momento incipit?

R. Apage hunc quoque errorem operis operati. Incipit ergo Baptismi fructus ab eo momẽto quo fides incipit, quæ quidem interdum præcedit Baptismum, vt in Cornelio apparuit, Act. 10. 47. interdum verò subsequitur, vt in infantibus baptizatis: modò tardius, modò serius euenit, siquidem adoleuerint, & sint ex electorũ numero. Deniq; non est fructus Baptismi ad illud momentum coarctãdus, quo cuipiam confertur, vt nec Verbi simplicis, latente tantisper semine in audientium animis, dum virtute fidei modò serius, modò tardius collatæ, emergens fructificet.

112 Q. *Non abolet igitur Baptismus duntaxat peccata præterita.*

R. Imò per vniuersam credentiũ vitam eius fructus diffunditur. Crassus autẽ error ille in causa fuit multis, Baptismi ad mortem vsque differendi: quod mirũ est non fuisse vehementius à doctis Episcopis exagitatum.

113 Q. *Non putas verò originis peccatum Baptismo*



Baptismo tolli?

℟. Puto sanè tolli quod ad reatum attinet, modò adsit fides. At ipsum vitium, quanuis paulatim emoriatur in credentibus, manet tamen re ipsa: ac peccatum sit ac dicatur oportet, quia vitiosum sit necesse est, quicquid voluntati Dei & Spiritui repugnat.

℣. *Estne verò Sacramentum istud* 114
Baptismi prorsus & absolutè necessarium ad salutem in Christo consequendam instrumentum?

℟. Nequaquam.

℣. *Atqui non modò recentiores, sed etiam vetusti multi Patres, eousque saltē necessarium senserunt, vt vitæ cælestis luce priuatos censuerint, qui non essent externo Baptismo Ecclesiæ accensi.*

℟. De hoc dogmate, vnde etiã profluxit pudendus error Clinicorum & obstetricũ Baptismi, postea viderimus. Nũc aio, hactenus necessarium esse Baptismi sacramentum, vt qui illud negligat, seipsum (quantum in se est) Christi quoque beneficio priuet, quod tamen peccatum (vt

cætera omnia) potest vera pœnitẽtia deleri: eum verò contemptorem Baptismi videri non posse, qui nulla sua negligentia, nedum culpa, Baptismũ, eo qui in Ecclesia constitutus est ordine, non obtinuerit.

115 *Existimásne verò eundem fuisse Baptismum à Ioãne & ab Apostolis postea Christi iussu administratum?*

℟. Quæstionem illam vt hodie inutilem velim prætermitti. Quia tamen ad quorundam sacræ Scripturę locorum interpretationem facit: & inde Anabaptistæ quærunt quod suo dogmati pestilenti prætexant, non recuso de hac quoque aliquid differere, vbi ad contrariarum sententiarum refutationes ventum erit. Aio interea reipsa eundem & vnicum fuisse Baptismum, à Ioanne primùm, deinde ex mandato Christi administratum, quanuis tanto vberius aliquid in Apostolico quàm in Ioannis Baptismo præbitum videatur, quanto magis perspicua est Apostolorũ quàm Ioannis doctrina, re tamen eadem.

QV.

Q.V. *Nunc velim quasdam quæstiones* 116
huc spectantes mihi distinctè exponi. ac primùm quidem, quos censeas baptizandos. Sunt enim qui sine discrimine putent quosuis baptizandos non repugnantes.

℟. Profluxit hic sordidus error ex duobus fontibus. Existimarunt enim nostræ salutis initiũ esse à Baptismo: ac præterea Baptismum seruare ex opere (vt loquuntur) operato.

Q.V. *Alij censent solos adultos, & quidem veræ fidei confessionem edentes, baptizandos, exemplo Eunuchi, Actorum 8.37.*

℟ Horum error inde ortus est, quòd nisi fides pręsens Baptismo pręiret, frustra illum administrari censuerunt.

Q.V. *Quid? nónne antea dixisti sola fidei manu apprehendi res in Sacramentis* 117
significatas?

℟. Ita est. Sed superuenire fidẽ posse Sacramento, etiam multis antè annis administrato, non magis absurdũ est, quàm si dixero quod experimur quotidie, nempe fieri sæpenumero vt quæ contempsi-

mus,quum nobis dicerẽtur, plurimis post annis,& in ipso interdum vitæ exitu animaduersa prodesse nobis incipiant.

118 QV. *Quos igitur baptizandos censes?*

R. Omnes qui mihi Fœderis tabulas ritè exhibuerint, quibus obsignandis Baptismus est institutus.

QV. *Quinam verò ritè ostendunt?*

R. Qui,(siquidem adulti sunt)assensum suum testantur.

119 QV. *Adultos igitur nullos admiseris,nisi fidem rectam diserte professos?*

R. Nullos.Quid enim in eis alioqui obsignare me posse, probabiliter crediderim?

120 QV. *Infantes igitur quorsum admiseris?*

R. Neque verò quosuis infantes admisero. Nam neque Mahumetanorum neque Iudæorum liberos infantes recepero.

QV. *Quamobrem?*

R. Quia Fœderis tabulis non comprehenduntur.

QV. *Sed erudiri possent in Christianismo.*

R.

℟. Erudiantur ergo, siue catechumeni fiant, ac tum demum baptizentur.

Q V. *De Mahumetanorum, & eorum omniũ liberis id tibi concesſero, vt qui nunquam fuerunt in Fœdere comprehenſi. Sed iſtíſne Iudæos accenſes?* 121

℟. Omnino, sed dissimili ratione. Nã illi quidem nunquam in Fœdere fuerunt comprehensi, Iudæorum autem gens nũc quidem, repudiato Mediatore, à Fœdere excidit, Gentibus in eorum locum insitis.

Q V. *At num tibi satis esse videtur, ex fidelibus natum esse, vt à Baptiſmo nõ ſit quiſpiam repudiandus?* 122

℟. Ita censeo. Nam manifesta sunt Fœderis verba, *Ero Deus tuus, & ſeminis tui.* Appellatione verò Seminis, omnes gentes fidem Abrahæ sequutas contineri docet Apostolus, Galat. 3. 8. Et idem manifestè dicit sanctos esse liberos ex altero etiam parente fideli natos: qua sanctificatione nihil aliud intelligi potest quàm cõ prehẽsio in fœdere: quo à prophanis sancti discernuntur.

123 QV. *Sed multos etiam ex sanctissimis prognatos ad Fœdus nihil pertinere declarat Esaui exemplum, & quotidiana experientia.*

℟. Multi quoque ex adultis fidemore profitentibus hypocritæ sunt. Sed occulta illa particularia iudicia, Deo relinquenda sunt. Bene autem sperare nos in genere de iis omnibus qui ex fidelibus nascuntur, & Fœderis formula indefinita iubet, & charitas monet.

124 QV. *Atqui sine fide impossibile est placere Deo.*

℟. Aliud est quẽpiam placere Deo re ipsa, aliud abscondito decreto Dei destinatum esse isti (vt ita loquar) complacentiæ. Nam illud quidem fit in adultis, interueniente ipsorum fide: fides verò ab illo complacentiæ decreto oritur. Cur enim credimus nisi quia sic ei placet? placemus ergo ei etiam credituri: & ne crederemus quidem, nisi prius (ordine causarum & temporis) gratis ei placuissemus.

QV. *Sed cur addis, In adultis?*

℟. Quoniam infantium prius mo

rit.

rìturorum quàm doceantur, alia ratio eſt, quum fides ſit, ordinario quidem modo, ex auditu: extra ordinem verò, ex ſolo intrinſeco Spiritus ſancti motu, quorũ vel alterũ infantibus cõpetere, ex nullo Scripturæ loco, neque vlla leuiſſima cõiectura collegeris. Fides enim (ſiue ex auditu, ſiue extra ordinẽ oriatur) neceſſariò præſupponit notitiã gratuitæ in Chriſto promiſſionis, quam is qui credit ſibiipſi applicet: quod nullo modo in infantes cadit.

Q V. *Quomodo igitur gratos eſſe Deo infantes exiſtimabimus, vt ab eo in Eccleſiæ Fœdere cenſeãtur, ac proinde ipſum Fœderis ſigillum eis non denegetur?*

R. Primùm dico probabiliter cenſeri Deo gratos eſſe æterna in Chriſto electione, cuius ſatis idoneum teſtimonium eſt, quòd eos voluerit ex piis parẽtibus naſci. Huius autem teſtimonij idoneitas (relictis Deo particularibus occultis iudiciis) patet ex illis conceptis Fœderis verbis, *Ero Deus tuus, & ſeminis tui*: vnde etiam colligit Apoſtolus, ſanctos eſſe qui vel ex altero pio parente naſcantur: Deinde pla-

cent quoque in parentum piorum persona, in mille vsque generationes, vt Dominus in Lege testatur.

125 QV. *At ista promissio legalis est. Nos verò de fœdere Euangelij agimus.*

R. Concedo. Sed memineris omnes promissiones Legales, in Christo, qui pro nobis illam conditionem Legalem impleuit, Euangelicas & ratas credentibus euadere.

QV. *At tu infantes istos credentibus non accenses, vnde sequitur nullum isti Legali promissioni locum infantibus relinqui.*

R. Imò non consequitur. Fides enim interuenit parentum ex quibus natus est.

126 QV. *Vis ergo aliena, id est parentum fide infantes seruari?*

R. Alienam fidem & sanctorum preces constat multis quoque infidelibus ad mitigandas pœnas prodesse: imò etiam fic posse aliquibus fidei donũ impetrari docet Saulis conuersio, si vera est eorum sententia, qui hoc datum esse scripserunt Stephani precibus. Nequaquam tamen faci-

le

lè dixerim quempiam aliena fide seruari, ne quis hoc perinde accipiat acsi dicerē parentum fidē infantibus imputari, quasi aliena fide credentibus: quod quidem non minus falsum & absurdum fuerit quàm si dixerim quempiam posse aliena anima viuere, aut alterius sapientia sapere. Sed hoc quidem verè dixerim, interueniente piorū parentū fide fieri vt nati vel nascituri infantes sancti sint, id est in fœdere censeantur, ac proinde seruentur. de quo vt nihil dubites, dic, obsecro, quid apprehendit fides? nónne id quod continet promissio, ipsius fidei obiectum?

Q. V. *Omnino.*

R. Ergo promissionem istā *Ero Deus tuus, & seminis tui,* apprehendit, & sibi & semini suo piorum parentum fides. Tantundem autē valet hæc promissio atque, *Ego tecum & cum semine tuo, salutis fœdus paciscor.*

Q. V. *Ergo seruarentur omnes ex pio* 127
parente oriundi.

R. Certè meritò præsumuntur seruandi, vt qui in Fœdere compre-

hẽsi probabili, neq; imaginaria cõiectura videantur. Sed hoc interea nihil præiudicat occultis & particularibus Dei iudiciis: & excipiendos esse liquet, qui quũ adoleuerint, illam gratiã sua incredulitate excutiunt.

128 QV. *Verùm quum dixeris sola fide obsignari res in Baptismo significatas, quid dicemus obsignari in infantibus actuali fidei habitu non præditis quum baptizarentur, & prius mortuis quàm doceri fidem possent?*

R. Nos quidẽ quasi superuicturos baptizamus. Quod autem dixi de fide, ad solos adultos spectat. Non fuerit autem vanus propterea illorum Baptismus. Nam in iis sancitũ id fuerit quod, interueniente, (sicuti dixi) piorum fide, iam erat ipsis nascentibus collatum, nempe insitio in fœdus: ac proinde peccati peccãtis remissio, totusdeniq; Baptismi fructꝰ. Deniq; inanis esse nequit ista solennis ex Christi mandato, Patris, ac Filii, & Spiritus Sancti inuocatio, nec vanæ sunt ab Ecclesia conceptæ super eum qui baptizatur preces. Ista por-

rò Eccleſię iudicia ſũmittuntor. Nec enim ignoro poſſe etiã dici ſic eis dari fidẽ δυνάμει, vt δυνάμει, quoque non ἐνεργείᾳ ſunt anima ratiocinante præditi. Quid tamen mihi probabilius videatur oſtendi: neque ſententiarum hac in re diuerſitas, fidem ipſam Chriſtianam labefactat.

Q V. *Quum & parentum & Eccleſiæ fidei, veteres quidam Patres plurimum in hac controuerſia tribuerint, vnde quæſo, iſta ſtipulatio, Credis? Credo: Abrenuntias? abrenuntio?* 129

R. Non ignoro quàm ſtuduerit Auguſtinus ſcribẽs ad Bonifacium, iſtam in Baptiſmo infantium iam tum vſurpatam ſponſionem excuſare. Sed quis non videt hoc inde cœpiſſe, quòd quæ in adultorum Baptiſmo dici & fieri ſolebant (negligentia Epiſcoporum, & quorundam fortaſſis ſuperſtitione) ad infantium Baptiſmũ tradu&ta ſunt? quã de re (fauente Deo) tunc agemus quũ ad contrariarum opinionum refutationes ventum erit.

Q V. *Audiui quid de Mahumetanorum & Iudæorum infantibus cenſeas. Num* 130

verò in hoc numero reposueris eorum liberos, qui Pontificis Romani partes sequuntur?

℟. Nequaquam.

Q V. *Atqui Papam Antichristum alterũ esse dicitis, ac proinde à Christo desciuisse illos oportet qui Papistæ dicuntur.*

℟. Concedo. Sed vt Papatus non sit Christianismus, verùm potius Antichristianismus: manſit tamen & manet Christianismus quasi sepultus in Papatu.

131 Q V. *Quid tibi velis nondum satis percipio.*

℟. Dico Dominum nostrum Iesum Christum voluisse ac velle adhuc Ecclesiam suam latere intra Papatus ipsius viscera.

Q V. *Vnde hoc colligis?*

℟. A posteriore. Aio enim vbicunq; est propria Ecclesiæ nota ibi esse Ecclesiã.

132 Q V. *At quàm miserè fædata est siue doctrinam ipsam, siue illius notæ, Baptismi characterem spectes?*

℟. Esto vt sit vsqueadeò conspurcata, vt non nisi à peritissimis internoscatur: extat

extat tamen in illo suo charactere, Baptizo te in nomen Patris, Filii, & Spiritus sancti.

Q. *Quid inde colligis?*

R. Papismum minimè esse Christianismum, imò aberrationem tantam, vt qui illū amplectatur, & in eo permaneat, à Christianismo excidat. Idem dico de Oriēte, siue Græcismo qui & ipse est aberratio à Christianismo tanta, vt verè Christianus & Græcus hodie nemo sit. Aio tamen Gentes (quæ nunc duabus illis factionibus in genere comprehenduntur, & ad suā excisionē, quā prædixit Paulus manifestè vergunt) non censendas tamen excisas, quandiu exterior Baptismi nota ibi perstabit, & colligi adhuc ex medio Papismo, & in medio Papismo, Ecclesiam.

Q. *Probarēne istud possis commodo quopiam superiorum temporum exēplo?*

R. Maximé. Qualē enim putas Phariſaismum, Sadduceismum, Iudaismū denique fuisse Christi temporibus? talē certè vt nemo Iudæus esset (si corpus ipsum

populi spectes) qui non irritum faceret Domini fœdus. Fuit tamen ad tempus vera religio in medio Phariſaiſmo, & Sadduceiſmo, adeóque deprauatiſſimo Iudaiſmo, quandiu viguit in eo populo Circunciſio, fœderis teſſera. Circunciſione verò abolita, & repudiata Chriſtianiſmi nota, gens Iudæorum iam exciſa meritò dicitur. Idem non de Papiſmo ipſo, ſed de Chriſtianiſmo, intra Papiſmum veluti demerſo, & ſeſe paulatim exerente, ſtatuendum dico.

133 QV. *Sed quum qui Papiſta eſt, non ſit verè Chriſtianus, num eiuſmodi hominem adultum, nec dũ baptizatum, ad Baptiſmũ admitteres?*

R. Nequaquam, niſi prius Catechumenum factum, & Papiſmo renuntiantẽ.

134 QV. *Eiuſmodi verò parentibus natum infantem num admitteres?*

R. Ne id quidem temerè facerem.

QV. *Quibus ergo conditionibus?*

R. Nempe ſi vel ex parẽtibus aut cognatis aliquis, Papiſmum eiurans, & infantem habens in poteſtate hoc à me poſtularet

laret: vel alioqui idoneus sponsor adesset, qui piam & rectam infantis institutionẽ polliceretur.

Q.V. *Num idem feceris in Mahumetani aut Iudæi alicuius infante?*

R. Sanè, in priore quidem specie. Nec enim eiusmodi infans censeretur Mahumetanis aut Iudæis prognatus, siquidem ij falsam suam religionem eiurantes, & ipsimet iam baptizati, aut Baptismum petentes, soboli suæ Baptismũ peterent. Sin de adultis ageretur etiã si mille adessent sponsores, Baptismum tamen infanti recusarem.

Q.V. *Quamobrem potius quàm Papistarum filio?*

R. Quoniã neque Iudaismus aut Mahumetismus, est Christianismus, neq; in Mahumetismo, aut nũc qdẽ, in Iudaismo est Christianismus: id est non habeo cõiecturã vllã probabilẽ, ex qua possum coniicere aliquem nasci ex Iudæis vel Mahumetanis qui sit sanctus, id est qui ad Dei fœdus pertineat. At verò etsi Papismus nõ est verus Christianismus, est tamen adhuc

in Papismo Christianismus, vt ex eo appareret, quòd adhuc ibi remansit salua Baptismi formula essentialis, quam abolere Satan nondum potuit.

135 Q. *Idémne statuis de quorumuis hæreticorum liberis?*

R. Minimè verò. Excipio enim eos qui abolito Christi Baptismo (is est autem Christi Baptismus, qui sic administratur, vti Christus instituit) proprium alium inuexerunt, etiam si Christi Baptismum esse mentiantur, quod de Eunomianis & Priscillianistis, & aliis nonnullis traditur.

Q. *Istos igitur rebaptizares?*

R. Imò Christi Baptismo nondũ baptizatos, baptizarem.

136 Q. *Dictum sit igitur hactenus de iis qui baptizandi sunt. Nunc quæro quorũ sit baptizandi munus.*

R. Eorũ certè quibus administrandi Verbi cura mãdata est. Sunt enim Sacramẽta quasi Verbi tabulis appensa sigilla, & hæc duo coniunxit Christus Apostolos suos mittens, & Baptismi formã præscribens.

Q.

Q.V. *At inquit Paulus se non esse missum ad Baptizandum, 1. Cor. 1. 16.* 137

R. Id non esse præcisè intelligendũ, sed comparatè, apparet ex eo ipso quòd ibidem ait se baptizasse Stephanę familiã, quod nũquam nisi ex vocatione feciſſet. Ait igitur se missum vt præcipuè incumberet plantãdis, Euangelii prædicatione, Ecclesiis, in quibus pastores constituebat, à quibus potius vt & ab assectis Euangelistis singuli credentes (prout res ferebat) baptizarentur. Sed & vetustam Ecclesiam apparet, quùm iam præsertim operosior esset factus Baptismus, Diaconorum opera in nonnullis vsos fuisse. Sed in summa Baptismus quũ sit merè Ecclesiastici ministerii pars altera, à solis legitimè vocatis ministris ritè administratur.

Q.V. *Nũ verò Papisticos siue Episcopos siue presbyteros legitimè vocatos credis?* 138

R. Nihil minus, ne ex ipsorum quidem Canonibus, alioqui non admodum puris.

Q.V. *Imò impositionem manuũ habt siue ordinationem qua vos aiunt carere.* 139

℟. Sed quoties prohibent Canones pro legitimè ordinato censeri qui non fuerit legitimè electus? Legitimæ verò electionis modus ex Apostolo nobis petendus est, saltem quod ad morum & doctrinæ examen attinet. Deest igitur illis ordinationis legitimæ fundamentum, ac proinde frustra impositionem manuum iactant, quam tamen difficilè non fuerit ostendere puriorem nos quàm illos habere, sicuti fortassis alias plenissimè ostendam.

139 Q.V. *De Baptismo igitur: à priuatis, vel ministerio Verbi non fulgentibus personis administrato, quid censes?*

℟. Non pluris faciendum quàm id quod Regis, vel Reipublicæ nomine priuatus quispiã pro libito gereret: aut quàm sigillum ad publici imitationem à priuato quopiam effictum, & cuipiam instrumento appensum: aut quàm fabula.

Q.V. *Multò minus ergo Baptismum per ludum, vel ab obstetricibus administratum probaris.*

℟. Apage verò crassam & putidam hanc

hanc sacri ministerii profanationem.

Q.V. *Sed quid si vrgeat necessitas?* 140

R. Iam antea respondi salutis nostrę initium duci à Tabulis ipsius fœderis, nõ à sigillo iis appenso, quod tamen si quis aspernetur, illarum beneficio meritò priuetur: non videri verò contempsisse qui illud obtinere, seruato legitimo ordine, nõ potuerit.

Q.V. *Sed nónne pari loco & gradu cẽsendæ sunt priuatæ personæ, & non legitimè vocatæ? quod si verum est, irritus sanè fuerit Baptismus à Papistis sacrificulis administratus.* 141

R. Hîc me non pigebit ex Iurisconsultis mutuari quod ad hanc rem maximè facit: Vitium aut est in persona, aut in re, aut in vtroque. In persona, vt quum vitio creatus est magistratus, qui tamẽ (authore Varrone lib. De lingua Lat. 5.) magistratꝰ est. Iurisconsulti verò subtilius distinguunt inter eum qui magistratus est (legitimus videlicet) & eum qui est in magistratu: vt quum disputãt aliud esse Proconsulẽ esse quàm in Proconsulatu: aliud esse Prætorẽ

quàm Prętura fũgi, vt de Barbario Philippo traditur: aliud tutorem esse quàm tutela fungi: adeò vt interdũ qui magistratus est, putà si sit furiosus, sit quidem magistratus, magistratu verò fungi non possit. Vitium in actu est quum ritè gestus nõ fuit, iis nimirum prætermissis, quę sunt de ipsius actus natura. Iam in Baptismo Papistico vitium non est in actu in quo præcipua illa formula obseruata est cui non præiudicãt aliena & superuacanea. At in persona vitium est: sunt enim παρεπίσκοποι & ψευδαπροσβύτεροι. Sed istud vitiũ non potest actum lædere. Nam (vt ad nostros Theologos propius accedam) qui nõ sunt legitimè ad ministerium vocati, & tamen in cathedra ministerii sedent aliquo hominum (quanuis deceptorum) consensu, etsi quod ad personas ipsas attinet, veri pastores non sunt, tamen alio loco sunt habendi, quàm qui nullam neque legitimã, neque illegitimam vocationem habẽt. Sic Caiaphas non erat quidẽ legitimus Pontifex maximus, vt qui pecunia data pontificatum inuasisset, sed tamen in pontificatus

tus cathedra sedens, quanuis insçius, prophetiam edit. & coram hoc sedente Pontifice, Dominus Tẽplum adit, & diuinos nondum abolitos ritus obseruat. Sic Phariſæi quatenus in cathedra Moſis sedebãt, audiri iubentur, quam tamen cathedram illorum plerique, ambitione & malis artibus occuparãt. Sic denique rata sunt quæ magiſtratus aliquis habitus decernit, etiãſi malis artibus eò fuerit prouectus, quod Barbario cuidã Philippo seruo, & tamen per errorem Prætori Romę creato accidiſſe constat. Denique vitioſa vocatio conſcientiam eius lædit, qui munus illud inuaſit, sed ea non vitiat quæ ab eo perinde aguntur ac ſi legitimè esset vocatus.

Q. *Sed ille à ſacrificulis adminiſtratus Baptiſmus, multis eſt maculis conſpurcatus.* 143

R. Verum dicis. sed singulari Dei beneficio, manſit in eo essentialis illa Baptiſmi Christi formula: cuius veritas nulladditiis commentis impediri potest.

Q. *Non esset igitur Baptiſmus verus, niſi purum inſtitutionis verbum ad-* 144

hiberetur?

℟. Non esset profectò. Nam formâ dat esse rei.

QV. *Quòd si vitium in forma, te authore, tantum est vt rem ipsam vitiet: ánnon id multò magis facit vitium in ipsa Baptismi doctrinæ explicatione, in qua non ignoras quàm grauiter à Papistis peccetur?*

℟. Nequaquam. Etsi enim doctrinæ, quàm exterioris formæ corruptio maior ac grauior est coram Deo, ipsius tamen Baptismi actionẽ non perinde vitiat: quoniam vitiũ doctrinæ hæret in docente, neque Sacramenti alioqui ritè administrati, veritati nocet: vitium autẽ formæ in ipsa re ineſt, ideóque tale esse potest (putà si in ipso elemento aut verbo institutionis aut merè essentiali ritu peccaretur) vt actionẽ ipsã vitiet. Veluti si exẽpli gratia quispiã in Trinitatem non baptizaret, aut Filium inæqualem nominaret, aut in Virginem Mariam baptizaret, aut pro aqua (præsertim sciens prudens) nescio quid aliud vsurparet prorsus diuersum, aut siue aspersionem, siue immersionem negligeret, non esset

esset hic certè Baptismus à Christo institutus. Contrà verò si fieri posset vt vel Satan ipse sederet in cathedra ministerii, & legitimum Christi Baptismum administraret, verus is esset Christi Baptismus: vt qui à ministri neque scientia, neque conscientia pendeat.

QV. *Rectè igitur censes eos facere* 145
qui purum Christianismum eiurato Papatu amplexi, baptizandos suos liberos sacrificulis offerunt?

R. Nequaquam.

QV. *At tu tamen, inquis, verũ hunc esse Baptismum.*

R. Illud tamen ex hoc non consequitur. Nam etiam si valet quod datur, tamẽ non sequitur peccato carere eum qui id petierit. Quum enim multa sint in Baptismi ritibus Papisticis impura, nõ est expers peccati qui eorum exercendorum causam præbet: vt taceam, sic in adulterina sua vocatione foueri, quos potius ex Dei domo expelli ab iis oportuit quos id curare imprimis decebat, Christi exemplo.

QV. *Quid igitur patribus puram religionem amplexis faciendum putas, qui inter medios Papistas degunt?*

Rx. Suadeo vt sumptui non parcant, & nihil intentatũ relinquant, vt purè baptizandos suos liberos curẽt, ac potius Baptismum differant, quàm illarum corruptionum rei fiant.

QV. *Quid si interea moriatur infans?*

Rx. Culpã ipse certè infans nõ luet: & iam sæpe diximus, nõ priuationẽ sed contemptum Baptismi per se, reddere hominem fœderis beneficio indignum.

146 QV. *At Dominus testatur fore vt excidatur quicunque non fuerit circuncisus, Genes. 17. 14.*

Rx. Si hoc intelligas de exclusione tũ à sacris tum à ciuili societate, quoniã additur, *è populis suis*, sensus hic erit, incircũcisos non fuisse neque ad sacra neque ad ciuilia munera admissos. Sin id verò de exclusione ab ipso fœdere salutis æternæ accipias, istud quod subiicitur. *Nam fœdus meum subuertit*, ostendit hoc intelligendũ esse de solis iis qui scientes prudentes



dentes: aut negligentia Circunciſionem fuerint aſpernati. Imò eos qui in deſerto diu vixerunt incircunciſi, Ioſue 5. v. 4. certum eſt tamen ſacros cœtus adijſſe, & ciues Iudæorũ reipublicæ habitos: quoniam videlicet non contemptu Circunciſionis id eueniebat, ſed quòd id commodè in deſerto fieri non poſſet. Moſen enim & Aaronem hoc alioqui fuiſſe neglecturos probabile non eſt.

QV. *Sed nullámne ætatis baptizandorum habendam rationem putas?* 147

R. Quum ab adultis requiratur fidei profeſſio, quò diligentiores fuerint in cognoſcendis Chriſtianæ religionis præcipuis & primariis capitibus, eò ſibi meliùs cauerint. Infantes autẽ quò citius baptizandos obtulerint pii parentes, eò rectius fecerint: ne hoc beneficio, ſi fieri poſſit, priuentur.

QV. *Atqui non ante diem octauum* 148 *circuncidebantur Iſraelitarum mares, Gen. 17. 12.*

R. Nempe quoniam alia lex obſtabat, immundos ad ſeptimum vſque diem

pronuntians quicunque puerperam attigisset. Leuit. 12. 2. & 15. 19.

149 QV. *Atqui constat multos diu distulisse Baptismum, adeò quidem vt Gregorius ipse Nanzianzenus Episcopi filius, non nisi plenè iam adultus, ad Baptismum accesserit.*

R. Arguit hoc quoque, vt alia multa, Episcoporum multorum negligentiã, minimè nobis imitandam. Cæterum hanc ipsam Baptismi dilationem grauiter ipse Nanzianzenus increpat, oratione in sanctum Baptisma, cui tamen (vt & in aliis quibusdam eadem oratione comprehensis) in eo non assentior, quòd infantium Baptismum, nisi (inquit) periculum vrgeat, ad triennium vel breuius aut longius spatium differendum suadet, in quo mystici quidpiam discere & respondere possint. Hanc enim vanissimam esse rationem illa Circuncisionis lex ostendit, quę pinde atq; Baptismus, eiusdẽ in Christo fœderis obsignationi fuit adhibita.

150 QV. *Sed quod administrãdi Baptismi tempus idoneum censueris?*

R.

R. Hîc penè incredibile est dictu quanta sub ordinis specie inuecta sit in Ecclesias, præsertim Græcas, confusio. Certum enim est ex Actis Apostolicis Baptismum initiò prout res ferebant administratum fuisse iis qui ad Baptismum accedebant, miraculo potius quàm ordine aliquo institutionis; plerunque fide in Christum donatis. Postea vt ex Iustini potissimum altera apologetica oratione liquet, Spiritu sãcto ordinariis mediis agere paulatim incipiente, vbi cõuentus agebãtur, Baptismus quoque exercebatur. Postea, vt omnia ordine fierent, ordinatis catechistis, duo dies consuetudine quadam primùm, deinde lege, ac tandem quadã veluti superstitione, baptizandis catechumenis constituti sunt. Tandem autem eò deuentum est, vt penè piaculum esset extra Pascha & Pentecosten baptizare. Cæterùm huius ordinis obtentus id circo instituti vt catechumeni (quales initio erant baptizandi omnes, tum ex Iudæis, tum ex Gentibus) non quouis die, neque ante legitimam professionem accenserentur, in-

credibile pene est existimare, quæ confu-
siones sint in Ecclesiam eam ob causam
præsertim inuectæ, quòd quum Baptismus
in illis adultis esset primus in cœtum Ec-
clesiæ aditus, expectari Paschæ & Pente-
costes dies præcisè non poterat, quin sese
quodammodo damnatos existimarent,
qui in periculum mortis interea incide-
bant. Hinc illud sequebatur vt infinitos
soluere legibus tenerentur, qui alia quo-
que præterexebant. Sic irrepsit error de Ba-
ptismi absoluta necessitate, quæ opinio
quum omnes videretur in infernum de-
trudere, à nonnullis adhibitum est σοφί-
σμα, excogitato quodam loco in quo
collocarentur qui nulla sua culpa mortui
essent Baptismi expertes, neq; pœnas illas æ-
ternas videlicet experturi, neq; beatitatis
cælestis participes futuri: quod etiã Nan-
zianzenus tradidit. Omitto alia infinita
quę Christianis melius eruditis pudorem
meritò iniiciant ex ijs ipsis inuecta, quæ
ordinis causa fuerant initio instituta.

QV. *Quid autem ex istis colligis?*

RE. Quum temporum conditio in eo

sal-

saltem mutata sit, quòd nunc nulli adulti baptizantur, & satis pateant illorum veterum Canonum incommoda, rectè facere Ecclesias quæ sic cauent Baptismi vsui, vt neque (quoad eius fieri potest) priuentur Baptismo infantes, neque eorum superstitioni indulgeatur qui salutem Baptismo alligãr, neq; à prædicatione Verbi quotidiana, Baptismus, si fieri potest, seiũgatur.

Q.V. *At de loco nihilne statuendum putas?* 151

R. Imò quum omnia decenter & ordine fieri in Ecclesia oporteat, sit autem Euangelici ministerij pars Baptismus eundem locum & Verbi & Sacramentorum ministerio attribuẽdum censeo: vt in cœtu Ecclesiæ, & communibus præcibus adiunctis, Baptismus administretur, neque istos nescio quos necessitatis casus temerè admisero.

Q.V. *At de ritibus ipsis quid tibi v. detur?* 152

R. Standum esse Dei Verbo.

Q.V. *At Dei verbum immmersionem v. detur requirere.*

℟. Fateor hoc declarare nomen ipsum Baptismi præcisa significatione acceptum: neque mirum est in adultis hoc fuisse obseruatum, præsertim in Iudæa, & calidis illis regionibus, in quibus id fieri nullo valetudinis periculo potuit. Sed spectandum ipsum Baptismi scopum arbitror, quē etiā simplici aspersione aquæ perfusis infantibus retineri cōstat, quēadmodū in Legalibus purificationibus (quibus noster quoq; Baptismus adūbratus est) aspersio sufficiebat: neque magnopere laborandum multáne an pauca aqua, totum corpus mergatur, an caput duntaxat aspergatur.

℣. *De trina verò immersione quid sentis?*

℟. Apparet ex Tertulliano fuisse iam tum receptā aduersus Personarum vnitatem. Sed vtcūque sit, cur non æquè liceat dicere vnica vtendum mersione, vt significetur nos in tres quidem Personas (sicut ex verbis ipsius Baptismi intelligitur) sed in vnum Deum tamen baptizari? Tam enim periculosum est essentiam multipli-

care



care, quàm personam vnicam statuere. In genere verò de vnica vel trina mersione seu aspersione non arbitror contendendum: quod etiam visum est Gregorio Episcopo Romano, Epist. lib. 1 epist. 41.

QV. *Sed hîc rursum est de quo te* 153
perconter, istámne formulam, Ego te baptizo in nomine (*seu, in nomen*) Patris, Filij, & Spiritus sancti, *præcisè totidémque verbis ac syllabis necessariò vsurpandam putes. Neque enim ignoras Græcos dicere*, Baptizetur seruus Christi in nomen Patris, &c.

R. Omissis hîc quoque Scholasticorum argutationibus, dico duo hîc nobis extrema esse magno studio deuitanda: nè pe ve vel in Magorum impietatem delabamur, qui certis voculis efficacitatē quādam affingūt, quū (vt antè diximus) voces per se nullā aliā quàm significationis vim habeant: neque itidē existimemus licere nobis in institutione Domini (ita vt est ab eo certis verbis præscripta) quicquā demutare. Ac ad prius quidem illud quod attinet, Syriaco sermone ipsis Apostolis

vtendum fuisset, si qua in ipsis literis & syllabarum sonis vis inesset, quum eo sermone loquutum fuisse Dominum nostrum Iesum Christum appareat. Nihil igitur mutat in re ipsa qui eo idiomate quo vtuntur baptizandi, idem atque Christus ipse instituit loquutus est. Imò qui secus facit (vt hodie fit in pseudoecclesia Romana) malè facit, quia dici intelligenter vult Dominus suis, quæ ab omnibus credi & fieri vult.

154. QV. *Quæsũ igitur, si peregrina lingua vtatur baptizans à nemine intellecta, nũquid ratus est Baptismus?*

IO. Non pendet efficacitas Baptismi à baptizante, modò is (vt antè dixi) vocatione quanuis vitiosa, non careat. Et quũ infantes tãtundem (si proprio atque si peregrino idiomate vtaris) intelligãt, fructus Baptismi, quod ad eos attinet qui postea adolescunt, ab interpretatione & fide, suo tempore sequuturis dependent. In aliis verò inuocatio Domini vana esse non potest, quanuis valde vitietur eorum culpa qui lingua peregrina in Ecclesia seu Verbum





bum annuntiantes, seu Sacramenta administrantes, vtuntur.

QV. *Ergóne cogitur præcisè minister formula à Christo præcepta vti, verbis tantùm sono alterius linguæ mutatis?* 155

℟. Nulla certè iusta causa possit incidere quæ mutationem aliquam in tam pauçis verbis possit excusare, quibus integrum illud mysterium diuinitatis declaratur.

QV. *Quid si quis igitur pro Patre genitorem, pro Filio genitum: pro Spiritu sancto procedentem diceret? Quid si pro tribus Personis distinctis, Trietatẽ inuocaret?*

℟. Quorsum ista quæso? Iussit Dominus in hoc mysterio non proprietates personales, sed ipsas Personas, eásque distinctè inuocari. Aliam igitur affectatam formulam pro legitima nunquam admiserim.

QV. *Multò minus igitur admitteres detractionem alicuius Personæ, vel additionẽ hæreticam, veluti si quis Patrem maiorem, Filium minorem, Spiritum sanctum à solo Patre procedentem diceret.*

R. Rectè sentis. Nec enim hic esset Ecclesiæ Christi Baptismus.

156 Q. V. *Sed quid statuis de his vocibus*, Ego te baptizo: *vel*, Baptizetur Christi seruus?

R. Nō præscripsit suis ministris Christus, quibus vel quot vocibus essent vsuri in ministerij sui functione, sed actū ipsum definijt, quum iubet eos in nomen Patris, Filij, & Spiritus sancti baptizare. Itaque nihil detrahunt aut adiiciunt verbo Dei, sed munori suo satisfaciunt: quum institutionem ipsam Domini auditoribus exponunt. Et quod ad ipsam administrationis (vt ita loquar) actualis formā vērum est, siue dicāt, Ego te baptizo: siue, Baptizetur Christi seruus, nihil interest, modò forma ipsius actus quem exercent, obseruetur. Sed tamen, vt dicam quod res est, formula in Latinis Ecclesiis obseruata mihi videtur ad mādatum Domini propius accedere, & confirmandæ baptizandi fidei esse accommodatior.

Q. V. *Quamobrem?*

R. Quoniam de se loquens minister, prima

prima persona, quum inquit, *Ego baptizo*, & adiiciēs illud pronomē *Te*, attentionē reddit animum eius qui baptizatur, tū ad externam actionem obseruandam, quasi Deus ipse præsens adesset, hoc ipsum agēs per se, quod minister eius voce testificatur: tum ad promissionem propriè ac peculiariter sibi applicandam.

QV. *Sed infans qui baptizatur, istorū nihil intelligit.* 157

R. Fateor, sed suo tempore intelliget: quoniam (vt antè diximus) vis horū verborum per vniuersam vitam eorum qui baptizantur, vim suam in omnibus tentationibus profert, adeò vt in articulo mortis possimus ac debeamus vel hoc vno clypeo tentationes Satanæ acerrimas retundere, Abi Satana. Audiui enim adhuc surdus qui mihi nomine ac mandato Seruatoris mei diceret, Ego te N. baptizo in nomine Patris, Filij, ac Spiritus sancti. Est hic mihi Baptismus certa tessera ablutum esse me à peccatis, & Christi mei iustitia donatū, cui commortuus & consepultus, resurgere iam cœpi animo, & plenè tan-

dem etiam carne resurgam in vitam æternam.

158 QV. *Sed quum singulis momentis peccemus, peccata autē nostra Baptismo abluantur, quî fit vt non iteretur Baptismus, quum præsertim Cœnam Domini sæpius celebremus?*

R. Semel regeneratum & ingressum esse in Ecclesiam satis est: vnde nullus electus eiicitur foras. at semel in Ecclesia pasci, nequaquam sufficit.

QV. *Imò nónne peccata nos excludunt è regno Dei?*

R. Nequaquam. Nam alioqui nemo maneret in Ecclesia, quum sit mendax quisquis dicit se peccatum non habere. Itaque merentur quidē nostra vel minima peccata exclusionē à regno Dei: sed electis gratia Dei fretis, non imputantur. Ideo non dixit Paulus Rom. 8. 1. nullū esse peccatum, sed nullam esse condemnationem iis qui sunt in Christo Iesu.

159 QV. *Peccemus igitur, vt abundet gratia.*

R. Imò fides Christiana hoc non potest

test vllo modo admittere. Nihil enim credit, nisi quod offert promissionis sermo. At nulla fit veniæ promissio nisi resipiscentibus. Nulli verò longius absunt à resipiscentia, quam qui Dei patientia vltrò ad peccandum abutuntur. Itaque proprium est quoque electorum veræ resipiscentiæ donum.

QV. *At de excommunicatis quid dices? Sunt enim rata in cælis, ex Christi verbo legitima Ecclesiæ iudicia in terris peracta. Matt. 18. 18. Eiiciuntur autē excommunicati ex Ecclesiæ medio, 1. Cor. 5. 1. ergo & ex regno Dei.* 160

R. Excommunicationis legitimę iudicium quin ratum sit etiam in cælis, dubitare nemo magis possit, quàm si Filius ipse Dei sententiam ferret, quum in eius nomine agat Ecclesia quod agit. Non tamen inde efficitur quod tu cōtendis. Neque enim excōmunicati comparandi sunt simpliciter palmitibus à vite iā semel excisis, sed infructuosis, neque succum ex vite attrahentibus, ac proinde tandem à Deo excindēdis, nisi paulatim reuiresc̄at,

quod ex pœnitentiæ fructibus apparet, quemadmodũ ramis accidit, hyeme quidem perinde se habentibus ac si essent emortui, verno tamen tempore pristinum vigorem recipientibus. Sunt enim dona illa Dei ἀμεταμέλητα. Quòd si qui ad extremum in contumacia perseuerent, signum est eos in Ecclesia quidem exterius ad tempus fuisse, sed ex Ecclesia nunquam fuisse. Mansissent enim nobiscum (inquit Ioannes) aut certè post aberrationem ad nos rediissent, si ex nostris fuissent.

161 QV. *At enim si Baptismus idcirco non est iterandus, quoniam primus in Ecclesiam ingressus fieri irritus non potest, cur itidem non sufficit Cœnam Domini semel obire, siquidem semel verè Christo incorporatus, penitus excidere nunquam potest?*

R. Causam antea iam diximus. Semel enim renasci satis est, at nõ semel alimur, quoniam vt in hac corporali vita sumi cibum sæpius oportet, cuius succo alamur, sic, vt magis ac magis Christo incorporati in eo viuificemur, crebra eius incorporationis obsignatio, & fidei veluti accretio vtilissima

ma est. Hæc tamen in ista similitudine planè sunt diuersa, quòd corruptibilis est cibus quo ad hanc tuēdam vitam vtimur, ideóq; veteri nouus alius succedit: cibus verò interior qui in sacra Cœna præbetur incorruptibilis est, ideóque quū Cœna repetitur, neque sumitur nouus cibus, neque prior cibus quasi antea reiectus resumitur, sed is ipse cibus quē antea sumpseramus, magis ac magis nobis inseritur, & fide corroboramur, vt eò efficacius illo (Christo videlicet) ad vitam æternam nutriamur.

DE Baptismo igitur hactenus dictum esto. Nunc ad alterum Ecclesiæ Christianæ Sacramentum accedamus. Illud verò quomodo appellabimus? 162

℟. Paulus vocat Cœnam Domini, 1. Cor. 11. 20. eò quòd vespere celebrata primùm fuerit à Domino, quod etiam diu fuit in Ecclesia Christiana obseruatum. Vocat itidem mensam Domini, 1. Corin. 10. v. 21.

℣. *Annon etiam aliter apud Patres* 163

vocatur?

℟. Ergo istas quoque appellationes expendamus. Quidam huc trahunt nomen λειτουργίας, συνάξεως, & ἀγαπῶν, sed, meo iudicio, non satis rectè. Illis enim duobus prioribus nominibus non modò mysteria ista, sed reliquæ etiam publici diuini cultus partes significantur. Est enim (vt omnes non prorsus imperiti Græcę linguæ norunt) λειτουργεῖν, idem quod publicum aliquod ministeriũ obire, quod postea ad omnes Ecclesiasticas functiones traductum est, sicuti etiam δοῦλον Iesu Christi sese vocat Apostolus, & munus suum διακονίαν appellat.

Q V. *Non ignoras veterem Latinum interpretem, Act. 13. 2. vertisse* λειτουργούντων *sacrificantibus.*

℟. Noui, & quidem ineptè, nisi velimus etiam Angelos facere sacrificos, vt qui λειτουργικὰ πνεύματα vocentur, Hebr. 1. 14. & Magistratus, Rom. 13. 4.

Q V. *Atqui sic videtur accipi Luc. 1. 23. & Heb. 10. 11.*

℟. Imò illic quoq; in genere pro toto sa-

llationes
hunt no-
πῶν, ſed,
llis enim
n modò
blici di-
Eſt enim
ræcę lin
d publi-
od poſt-
ones tra
ſu Chri-
us ſuum

Latinum
τουργούν-

iſi veli-
cos, vt
, Hebr.

Lucæ 1.

o toto
ſa-

sacerdotali munere accipitur. Nomẽ quoque συνάξεως, id est Conuentus, latius patet, quanuis tandem ad eius præcipuam partem, Cœnam Domini videlicet significandam, sit translatum. Ἀγάπας autem vocabãt communia illa sacra cõuiuia, & quicquid in eis gerebatur, vt Tertullianus latè in Apologetico declarat. vtitúrque etiam Iudas hoc nomine, Iudæ v. 12: orta inde appellatione, tum quòd collatitiis dapibus vterentur, tum quòd mutuam charitatẽ ac coniunctionem arctissimam sic initiò testarentur Christiani.

Q V. *At, quid tibi de nomine* Εὐχαριστίας *videtur?* 164

R. Sic vocata fuit Cœna Domini, nõ quatenus Sacramenti, sed quatenus sacrificij rationem habet.

Q V. *Ergo tibi Cœna Domini sacrificium est?* 165

R. Est sanè, ídque triplici respectu: primùm, quatenus in ea aliquid Deo offerimus, solennem videlicet gratiarum actionem ex illo Christi præcepto, Hæc quotiescunque feceritis, mortem Domini

annuntiabitis: qua ratione dici potest loco omnium veterum sacrificiorum quæ pacifica vocabant, Cœnam Domini successisse. Deinde quòd in ea conferrentur eleemosinæ, ex instituto fortassis Apostoli, 1. Corinth. 16. 2. quæ eleemosinæ vocãtur φορα, ex illo Christi sermone, *Quod vni ex minimis istis feceritis, mihi feceritis.* Tertiò, q̃ mortis Domini sacrificiũ ob oculos quodammodo in illis mysteriis positum veluti renouetur. Nec aliter explicandũ est quicquid de sacrificio & oblatione Christi incruenta apud vetustiores & puriores Patres, tum Græcos tũ Latinos legitur.

Q. *Non putas igitur rursum offerri Christum Patri, à sacerdote reipsa pro viuis & mortuis?*

R. Apage blasphemiam omnium quæ vnquam extiterunt, maximè execrandam.

166 Q. *Quid verò tibi de appellatione Sacramenti altaris videtur?*

R. Altaris aliquam speciem loco conueniẽti positam fuisse certum est, quò con-



conferebantur dona & munera (vt nunc quoque Pontificius Canon habet) ex quibus decerpebatur panis & vinum, quæ sacris mysteriis destinabantur. Hæc enim erat Agaparum clausula, Christi exemplo. Et ad eum locum adstabat minister, pani & vino benedicens. Sed hîc mihi vide Satanæ versutiam. Nec enim dubium est quin altaris istius occasione fretus, Sacramentum in sacrificium, & quidem ἱλαστικὸν transformarit. At in scriptis Apostolicis nulla est altaris, sed duntaxat mensæ Domini mentio. Tanti est momenti nihil temerè, ne ἀδιάφορον quidem, in Ecclesiam inuehere.

Q V. *Et de Missæ appellatione quid sentis?* 167

R. De re ipsa, id est, de impietate qualis adhuc nulla extitit, suo loco dicemus. Vocem autem dico planè barbaram esse. Nam veteres Latini, quibus id proprium verbum fuit, non Missam sed Missas dixerunt. Possum etiam tibi ostendere vetustissimum Romanum Capitulare, vt vocant, in quo Missa neutro genere &

mero plurali dicuntur. Nec aliud vox illa quàm Missiones, siue res missas, oblationes videlicet, declarat, quas in cõuentum quisque afferebat. Quod enim de dimissione cœtus aliqui scripserunt, ac multò magis etymon Hebræum de quo nõnulli plurimũ laborant, absurdũ mihi quidem videtur.

168 QV. *De ipsis appellationibus abunde dictum est. Nunc quæso, Cœnam ipsam mihi defini.*

R. Cœnam igitur Domini esse definio, actionem sacram adultis fidelibus omnibus in Ecclesia, ad consummationem vsque seculi à Christo mandatam, in qua elementorum, & rituum conueniente analogia, tum mortis ipsius memoria nobis repræsentatur, tum nostra in ipsum incorporatio spiritualiter per fidem obsignatur, tum mutua nostra in ipso coniunctio sancitur, solennis denique gratiarũ actio ipsi persoluitur.

QV. *Velim igitur hanc definitionẽ mihi particulatim explicari.*

R. Cur actionem sacram esse dicam, antea

antea in definitione Sacramenti cognouisti. De cæteris si quæsieris, ordine respondebo.

Q.V. *Intellexi & illud antea, cur mandatam à Christo dicas ad consummationem vsque seculi, siue donec veniat, vt ipsemet loquitur. Sed cur addis fidelibus adultis?* 169

R. Quoniã quũ requiratur suiipsius probatio ex Apostolica doctrina, statuẽdũ est eos excludendos, qui nec sese probare possunt, neque fidem habent perspectam quam explorent.

Q.V. *Vis ergo excludi infantes, furiosos, eos denique qui non sunt in Christiana religione edocti?*

R. Omnino. ac proinde prophanatã ab ijs Cœnã Domini qui infantibus eam distribuerunt.

Q.V. *Atqui ad esum agni Paschæ, cui successit Cœna Domini, admittebantur etiã pueri.*

R. Concedo, sed qui ea essent ætate, vt patres interrogare, & ab eis edoceri possent, vt liquet Exod. 12. 26.

170 Q. *Cur adiecisti in Ecclesia?*

R. Vt noris non esse priuatam, sed communem actionem, id est in cœtu, siue totius alicuius Ecclesiæ, siue particulari, in communi denique non priuatim ab vno quopiam celebrandam. qua de re postea dicemus, vbi contra sacræ Cœnæ abusus disputabimus.

171 Q. *Elementa quæ vocas?*

R. Panem illum, & vinum illud.

172 Q. *Cur addis* Illum, *&* Illud?

R. Vt sacra distinguam à communibus. Nam sic quoque loquitur Paulus, 1. Cor. 11. 16. & 17.

Q. *Quánam in re verò situm est hoc discrimen?*

R. Non in substantia, sed in qualitate & vsu. Panis enim communis, & vinũ commune ideo apponuntur, vt nostram hanc vitam foueant: panis autem ille, & vinũ illud ideo præbentur, vt sint & σημεῖα & σφραγῖδες communicationis corporis traditi pro nobis, & sanguinis effusi pro nobis, idque ad vitam æternam.

173 Q. *Qui sunt isti ritus Sacramentales?*

R.



℟. Quod ad ministrũ attinet, Benedicere, Frangere, Fundere, Dare: quod ad conuiuas spectat, Accipere, Comedere, Bibere.

Q. *Quid istis tum elementis tum ritibus Sacramentaliter significatur?* 174

℟. Panis quidem ille est illius corporis pro nobis traditi, vinum autem illius pro nobis effusi sanguinis, vtrunque denique totius Christi, vt æterni nostri cibi, signum Sacramẽtale. Benedictio non tam alicui mysterio significando instituta est, quàm partim confirmandis qui ad mensam Domini accedunt, partim ipsi Sacramento conficiendo, partim solẽni gratiarum actioni celebrandæ. qua de re præstat seorsim agere. Fractio verò panis est passionis Domini symbolum.

Q. *Vnde hoc colligis? Sunt enim,* 175
qui hoc referant ad azymorũ præsertim panum vsum, quos constat fuisse minimè spissos, & quibus scindendis cultro opus esset. Deinde etiam dicunt frangere panem ex idiotismo Hebraico idem significare, atque panem distribuere, & largiri.

℟. Vtrunque quod isti dicũt verum est, sed istud posterius nullo modo consentaneum est iis quæ Dominus fecit, & facienda præcepit. Scriptum enim est, *fregit, dedit*, ex quo intelligitur fractionis nomine intelligi non posse panis distributionem. Alterum autem illud concedo, & adiicio solitos fuisse patresfamiliâs, etiam extra azymorum vsum, panem familiæ frangere. Sed hunc ritum quanuis communem, tamen euasisse Sacramentalem, eóque significatas pœnas quas Dominus nostri causa luit, manifestè ostendit Apostolus, quum pro τὸ διδόμενον *quod datur*, scriberet τὸ κλώμενον *quod frangitur*.

176 Q V. *Atqui os non est comminutum ex eo.*

℟. Concedo: sed animi certè & corporis cruciatibus est dilaceratus, & hac Metaphora qua dicitur etiam cor contusum & comminutum nihil frequentius occurrit in Dei verbo. Datio verò seu præbitio exterior signorum perinde accipienda est, acsi Christus ipse sua manu seipsum nobis vtendum & fruendum præberet,



beret, seseque totũ nobis insinuaret, quod etiam re vera virtute sancti sui Spiritus intus præstat, nisi incredulitas nostra obstiterit.

Acceptio verò exterior qua fit vt manu elementa prehendamus, respõdet interiori per fidem receptioni, vt perficiatur quædam inter Christum & nos stipulatio, rogante Christo: *Vin' me fide intus recipere, sicuti exterius has meæ promissionis σφραγῖδας tibi per ministrum meum in manus trado?* respondente verò fide, *Volo Domine, & fide te recipio, sicut hæc manus traditas sibi σφραγῖδας recipit.* Esus verò panis illius, & vini illius haustus, declarat Christi fide apprehẽsi applicationem, qua fit vt verè facti ipsius participes, ex eo quicquid ad salutem nostram spectat, magis ac magis hauriamus.

Q. *Quæ est verò analogia istorum signorum cum rebus significatis?* 177

R. Hęc analogia per se manifesta est. Panis enim & vinum quum, præ cæteris cibis, sint alendis corporibus nostris accõmodata, commodissimè nobis illum desi-

gnant, in quo vno vita æterna resident. Fractio verò panis, & vini effusio, infinitos illos cruciatus quos nostri causa perpessus est Dominus, velut ob oculos sistit, quasi penè ipsum in cruce cruentum pendentẽ, & ex latere confossо, vitam æternam in nos instillantem, ipsis oculis intueamur. Huc pertinet illud De cõsec. distinctione 2 *Quum frangitur hostia, dum sanguis de calice inora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio eiúsque sanguinis de latere effusio designatur?* Manducatio denique & potus nostrã illam velut in Christum ipsum transformationem, & eius vicissim in nos insinuationem, qua viuit ipse in nobis, & nos in illo, sic expressè ac penè conspicuè declarat, vt nihil esse possit euidentius. Quid enim nobis coniunctius esse potest quàm id quod edimus & bibimus, vt veluti in nos ipsos transformetur?

178 QV. *Sed nihil dum de mutua nostra in vnum corpus consociatione dixisti?*

R. Id etiam ex toto ritu liquet. Quũ enim ex eadem mensa eundem cibum & po-

potum accipiamus, vnius eiusdémque familiæ nos esse profitemur, & mutuas operas alij aliis hoc solenni ritu pollicemur. Huc accedit illa panis & vini ex granis multis in vnum corpus cõflatis analogia, quæ mutuam nostrã veluti membrorum sub vno capite coalitionem velut oculis ipsis spectandam proponit. Quamobrem etiam Augustinus hoc mysterium appellat charitatis vinculum, quod apertè ab Apostolo explicatur, 1. Cor. 10. 17.

QV. *Sed cur duplex elementũ in Cœna adhibetur, vnicum autem in Baptismo?* 179

R. Quoniam Christus in Baptismo nobis proponitur vt lauacrum: aqua verò etiã sola eluẽdis sordib⁹ sufficit. At in Cœna Domini quũ Christ⁹ nobis vt alimonia cælestis præbeatur, vita hæc autem non solo esu, sed etiam potu egeat, meritò non tantùm panis, sed etiam vinum in Cœna Domini adhibentur, vt nouerimus totam nostrã vitam à nobis in vno Christo quærendam.

QV. *Num igitur tam necessarium cẽses vini illius vsum quàm panis illius?* 180

℟. Omnino: & non nisi Satanæ instinctu poculi vsum Christianis ademptum. qua de re in refutatione dicemus.

181 Q V. *At de manus prehẽsione quid statuis, quã & ipsam Romana Ecclesia sustulit?*

℟. Etsi prehensionẽ manu factã non tã præcisè necessariã dixerim, quàm alios ritus Sacramentales (nam is quoque recipit qui ore recipit) tamen in Ecclesia hanc quoque restituendam censeo. Nam ita quoque Apostolicam veterem Ecclesiam factitasse apertius est quàm vt id negari possit: & istam panis in os iniectionẽ primùm ex præpostera quadam ac planè superstitiosa Sacramentorũ reuerentia profectam constat, quasi indigni essent homines qui sacra elementa contrectarent, quũ tamen sit os nostrum impurius quàm manus. Denique recepto Transsubstantiationis delirio, quò deuenerit hæc superstitio nemo non videt nisi qui oculos non habet.

182 Q V. *Multò minus igitur probas sublatam panis fractionem.*

℟. Rectè sentis. Hac enim sublata tollitur

litur analogia mortis Christi, sicut superius ostendimus.

Q.V. *Quid denique de eo censes quòd manducatio in adorationem, circungestationem, oblationem denique pro viuis & mortuis est commutata?* 183

R. Nempe Satanam hac inuecta impietate, seipsum planè superasse, quũ nulla vnquã tam crassa idololatria ne inter ipsas quidem maximè prophanas gentes fuerit audita.

Q.V. *Agè igitur de benedictione siue consecratione dicamus.* 184

R. Imò tu iam quid hoc rei sit explicasti: siquidem benedictionis nomine cõsecratio intelligitur.

Q.V. *Sic igitur opinor, vocas quod sanctificationem etiam Theologi appellant, id est translationem ab vsu communi ad sacrum Dei cultum. Sed huic interpretationi obstant nonnulla. Vtuntur enim Euangelistæ verbo* εὐλογεῖν *&* εὐχαριστεῖν *promiscuè in hoc ipso Cœnæ argumento, quorum illud vos Theologi interpretamini Benedicere, istud verò Gratias agere. Ista verò inter se*

differre ex eo potissimũ liquet, quòd Benedicere semper μεταβατικῶς, Gratias agere semper ἀμεταβάτως accipitur. Deinde sanctificatio illa etiam vulgaris, qua fit videlicet vt legitimè cibis vtamur, manifestè distinguitur à gratiarum actione & precibus, vt consequens ab antecedente.

℟. Hebræis, quorum idioma referunt Apostolica scripta, vsitatũ est ex antecedẽte consequens intelligere. Ideo εὐχαριστεῖν, quanuis absolutè semper ponatur, accipitur tamen in hoc argumento pro Cum gratiarum actione sanctificare: & rursus ista gratiarum actio in genere de precibus dicitur, Apostolo nomine ἐντεύξεως in re quanuis impari, tamen non dissimili vtente. Sic etiam εὐλογεῖν quum Deo tribuitur, accipitur pro ἁγιάζειν, Mose ipso interprete, Gen. 2. 3.

QV. *Sed in sacræ Cœnæ historia Christum loqui vt Mediatorem, adeóque vt hominem, apparet ex eo quòd Euangelistæ, sicuti dixi, promiscuè vtuntur quoque verbo εὐχαριστεῖν, quod Deo tribui nullo modo potest.*

℟. Rectè

℟. Rectè sentis. Itaque dubium non est quin apud Paulum, 1. Corinthiorum 10.16. ὃ εὐλογοῦμεν, id est, quod benedicimus, optimè sit interpretatus OEcumenius ex illo Hebraico idiotismo ; ὃ εὐλογοῦντες καταρτιζόμεθα, id est, quod benedicendo præparamus. Benedictio verò partim ad Deum, partim ad ipsa elementa refertur, vt est primùm à Christo in hoc argumẽto instituta, vt qui, suo more, Deo Patri benedixerit, id est, gratias egerit. quo respectu hoc mysterium dici potest sacrificium εὐχαριστικὸν: simúlque vt Filius paternæ familiæ Dominus, accepta elementa sanctificarit, vt iam non id essent quod erant natura, sed id Sacramentaliter esse inciperent cui tum significando, tum præbendo & obsignando, ex ipsius voluntate destinabantur: adeò quidem vt rerum etiam significatarum nomina acciperent, quasi idipsum essent quod Sacramentaliter significabant. Quod verò tum ab ipso primùm institutum & peractum est, sicut eiusdem mandato, ita etiam eiusdem virtute perficitur, vt qui dixerit

Hoc facite.

185 QV. *Sed huius benedictionis, saltem quod ad gratiarum actionem attinet, non est certa formula perscripta.*

℟. Concedo. Itaque liberum fuit Ecclesiis formulam præscribere explicationis tot tantorúmque beneficiorum, prout iudicatum fuit expedire: modò in ipsa rerum substantia ne tantillum quidem à Verbo scripto discederetur. Hinc non ille modò Canon, quem vocarunt Græcus & Latinus, sed etiam & multiplices illæ liturgiæ appellatæ, sic paulatim auctæ, interpolatæ, & adulteratæ, vt vera sint omnis non modò superstitionis, sed etiam impietatis sentina.

186 QV. *Num verò etiam benedictionis Sacramentalis formula nulla perscripta est?*

℟. Perscripta est certè disertis verbis à tribus Euangelistis, & Paulo.

QV. *Cur autem huius potius quàm illius?*

℟. Quoniam vnius est Christi constituere Sacramenta ex præscriptis ab ipso verbis, ne, dū à verbis variamus, à voluntate

luntate ipsius discedamus. Certas autem voces quibus in ipsius institutionis explicatione, in petitione, in gratiarũ actione vtamur, præscribere non fuit opus. Itaq; sufficere nobis debuit ea præscripta habere, ad quorum normam exigere illa nostra oporteat.

Q.V. *Quænam est autem illa Sacramentalis formulâ?* 187

R. Sicuti perscripta extat à tribus Euangelistis, & à Paulo.

Q.V. *Atqui isti inter se vocibus nonnihil variant.* 188

R. At in sententia ne tantillum quidem. Itaque nihil interest quem ex his sequare. Declarat autem hæc aliquantula in vocibus varietas, non esse nobis in ipsis syllabis hærendum (quod magicũ est prorsus) sed significationi vocum attendendũ. Nec tamẽ idcirco nobis licet à prescriptis verbis discedere.

Q.V. *Non existimas igitur hæc verba esse operatoria?* 189

R. Minimè verò, si Operatoria vocas quibus aliqua vis insit ἐνεργητική. Quod e-

nim iam antea dixi, iterum dico, nullum alium esse illarum vocum vsum quàm vt eius qui loquitur, conceptum declarent. Sin verò Operatoria dicis, quibus quid in Cœna tum à pastore, tum à grege agendum sit, tum quid agat ipse Deus declaratur: tum ego omnia illa dixerim esse operatoria. Nam illa, *accepit, fregit, dedit discipulis*, quid agendum sit pastoribus ostenditur: illa verò *Accipite, comedite, bibite*, quid gregē facere oporteat demonstrant. Sequitur enim, *Hoc facite*. Illa denique, *Hoc est corpus meum quod traditur pro vobis:* &, *Hoc est sanguis meus noui Testamenti, qui effunditur pro vobis*, significant audientium animo quid in hac actione Christus ipse sua vnius virtute efficiat, ac præstet. Nec enim hæc in illa actione à ministro Verbi tanquam ἰσοενικῶς recitantur: sed vt intelligant omnes tum fieri quę fieri præcepit Dominus.

190 QV. *Vis ergo institutionem Domini clarè recitari?*

R. Imò non clarè modò, sed ea quoq; lingua quæ ab audientibus intelligatur, addita

addita tum explicatione, tum etiam exhortatione, vt per ministrũ non stet quominus omnes id quod agitur percipiant. Cur enim illa omnia dicuntur, nisi vt à quibusuis accedentibus intelligantur? & cur intelligi oportet, nisi vt intellecta credantur? propterea requirit Apostolus, vt vnusquisque seipsum probet.

Q.V. *Ista verò suijpsius probatio quibus in rebus sita esse* 191

R. Primùm in cognitione doctrinę Christianæ, ac præsertim huius mysterij: deinde in fidei πληροφορίᾳ, tertiò denique in vera resipiscentia.

Q.V. *At quis hæc habet?* 192

R. Quisquis est verè Christianus, quum hęc sint Spiritus adoptionis effecta. Aliud est autem vera hæc habere quàm numeris suis omnibus perfecta. Imò si hęc essent in nobis perfecta, neque Verbo, neque Sacramentis egeremus, quum iis vtamur vt illa inchoata quotidie augeatur.

Q.V. *Audiui quid agi oportere dixeris, tum à ministro ipso tum ab ijs qui ad mensam Domini accedunt. Quæro igitur,* 193

quum ab vſu inſtitutionis Domini pendeat ipſa Sacramentorum cauſa formalis, ſiquid in illis peccetur, an propterea Sacramentorũ confectio impediatur?

℟. Videamus hoc igitur per partes. Benedictio poſita eſt præcipuè in inſtitutionis Domini fideli recitatione, & quadã (vt ita loquar) ad ſigna applicatione: deinde in eiuſdem explicatione, additis exhortationibus, cæteríque omnibus quibus ad intellectionem & ad legitimum vſũ horũ myſteriorũ quiſq; excitetur. Itaq; ipſius quidem inſtitutionis præteritio, vel peruerſio ſic actum vitiat, vt Cœna Domini cenſeri nec poſſit, nec debeat. Alia verò minus rectè facta (ne ſi quidem falſa explicatio adhibeatur) actum tamen non vitiant, vt qui à voluntate & inſtitutione Domini penitus pendeat.

194 Q V. *De fractione verò, quid ſentis?*

℟. Eius præteritionem, quoniam nõ ad ipſam Sacramenti confectionem, ſed tantùm ad veri & prorſus legitimi eius vſus formam pertinet, actum ipſum non vitiare: ſicuti nævus in facie formoſa, venu-





venustatem quidem lædit, sed formam tamen ipsam non abolet.

Q. *Quid de præbitione?* 195

R. Nempe eius præteritionem facere, vt quod erat in sese Sacramentum, habere desinat Sacramenti rationem, quum vsus gratia sint instituta Sacramenta: quēadmodum cera impresso sigillo publico, à priuata & non signata cera plurimùm differt: sed nisi instrumento applicetur, vt priuata cera habetur.

Q. *Quid de acceptione, comestione, & potione sentis?* 196

R. Idem prorsus.

Q. *Sed quid si vitium sit in persona eius qui Sacramentum conficit?* 197

R. Nēpe si merè priuata persona est, inanis est tota actio, vt in Baptismo diximus. Sin verò sedet in cathedra ministerij, quanuis illegitimè vocatus, siquidem institutionem Domini seruat, aliud statuendum est, vt de Baptismo antea respōdimus. Par enim est ac eadē vtriusque hac in parte ratio.

Q. *Quid si falsum doceat, aut vitijs*

ſcateat, aut nihil minus cogitet, vel credat, quàm id quod agit, num idcirco nullum eſt Sacramentum?

Rſ. Minimè, quicquid garriant Sophiſtæ de conſecrantis (ſicuti loquuntur) intentione. Pendet enim confectio Sacramenti in ſolidum à Dei inſtituto, per quẽcunque tandem miniſtrum agat.

198 Q V. *Idémne ſentis de eorum vitio, vel quauis indignitate, qui ad menſam Domini accedunt?*

Rſ. Omnino. Et ex iſtis facile eſt intelligere quæ corruptelæ ſint in Eccleſiã Dei inuectæ, ſubſtituta loco veræ benedictionis magica demurmuratione, loco prę bitionis & receptionis oblatione pro viuis & mortuis, fractione prorſus ſublata, & gratiarum actione in circungeſtationem, & horribilem illam eruſtuli prophaniſſimi adorationem mutata, de quibus ſuo loco dicemus.

199 Q V. *Ergo integrum quoque Sacramẽtum præbent indigni miniſtri.*

Rſ. Concedo.

Q V. *Ergo accipiunt quoque integrum Sacra-*



210

Sacramentum, etiam indignè accedentes, quum id accipiant quod præbetur.

℟. Sæpe sum miratus spiritus erroris efficaciam in hac planè Sophistica cõclusione. Error autem vnus alterum peperit. Hoc enim constituto, vtrunque, id est, tũ elementa, tum rem significatã, id est, Christum cum ipsius donis corpori & quibusuis præberi, concluserunt à quibusuis qui elementa acciperet, rem quoque accipi. At istud eorum fundamentum falsissimum est. Nec enim res Sacramenti (id est Christus ipse) manibus & ori, sed mẽti & fidei offertur, spiritualiter nimirum apprehendendus, sicuti corporea signa sensibus externis testificantur.

Q.V. *Quid igitur hac de re statuis?*

℟. Elementa quidem à quibusuis, res autẽ significatas à solis fidelibus percipi, quanuis & elementa & res significatæ quibusuis præbeantur.

Q.V. *Dixisti initio simplex quoque Verbum constare duabus rebus, ipsis nimirum vocibus, & rebus per voces significatis: ac proinde Sacramenta eò tantùm distare à* 200

Verbo simplici & nudo, quòd incurrant etiam in oculos, ideóque visibilia verba ab Augustino appellentur. Atqui fieri potest vt etiam maximè impij tum verbum ipsum externum, tum res per id significatas, illud nempe ex sonitu, istas verò etiam intelligentia percipiant. Cur non igitur itidem in Sacramētis quoq; cōstituēris? & elementa videlicet & res ipsas significatas: panem & vinū, nimirum, & Christum à quibusuis percipi: ab alijs quidem, nēpe credētibus ad vitam, ab alijs verò, nempe indignis, ad exitium?

R. Primùm id quod tu dicis, nempe à quibuscunque auditur externum Verbum, percipi quoque quod per illud significatur, agnoscis nō esse perpetuum. Nullum enim locum habet in iis qui ignota lingua loquentes sic audiunt, vt non intelligant: quod accidit magnæ hominū parti in Papismo. Imò quàm multi audiunt noto sibi idiomate loquentes, qui tamen sententiam ipsam eorum quæ dicuntur non intelligunt? Nam idcirco ludos literarios adimus, & præceptores audimus, non odò vt linguas discamus, sed in primis

vt



vt ea quorum sonos satis percipimus, re ipsa cognoscamus. Est autem id multò magis agnoscendum in rebus diuinis quàm communibus, & ad hũc nostrum captum sua natura accommodatis. Sed agè, demus & in Verbo simplici & in Sacramento audiri, ac etiam à quibusuis intelligi quid vtroque significetur: nequaquam tamen dederim rem significatam, id est Christũ, ab aliis quàm dignè, id est cum fide accedentibus recipi. Hæc enim receptio, quæ tropo Sacramentali (sicuti antea diximus) esus & potus vocabulis significatur, & ex effecto dicitur ab Apostolo κοινωνία, non aurium auditum, non intelligentiam duntaxat respicit, sed id quod vnius fidei proprium est declarat, nempe ipsius Christi spiritualem applicationem.

QV. *Annon hoc illud est quod aiunt* 201
nonnulli, nempe tum panem & vinum, tum ipsum Christi corpus & ipsum sanguinem à dignis & indignis recipi: Christi autem ipsius fructum, à solis fide præditis percipi?

℟. Minimè, id quod tibi facilè accõ-

modata similitudine explicuero. Ponamus ægroto cuipiam à doctissimo medico, ignota lingua, non verbis tãtùm exponi, sed etiam re ipsa proponi medicamenta quæ ad ipsius curationem requirantur. ægrotum verò neque quid medicus dicat, neque quid exhibeat intelligere. Nempe functus fuerit suis partibus medicus, qui tamen quod fecit frustrà fecerit. Tales ij sunt qui prorsus indigni ad mensam Domini accedunt, earum rerum quæ ibi dicuntur & præbentur, prorsus ignari, quibus nihilominus integra Sacramenta proponuntur. Ponamus secundo loco ab ægroto audiri quidem quid dicat medicus, sententiam tamen Doctorum non percipi, seu quòd nõ sit attentus, seu quòd non sit earum rerũ peritus de quibus medicũ audit differentẽ. Tales sunt qui & ipsi indignè ad mensam Domini accedunt, animo videlicet ad res ipsas quæ ibi geruntur, intellectu percipiendas non rectè comparato. Ponamus præterea ægrotum, & sermones ipsos & quicquid ipsi præbet medicus, probè intelligere, sed audita tamen

ac



ac probè intellecta aſpernari. Quęro an iſtiuſmodi, ſiue primi, ſiue ſecundi, ſiue tertij generis ægrotos, rectè dixeris oblata medicamenta recipere.

Q V. *Nequaquam. Nam illi quidem neque ſermonem, neque res ipſas, alteri vero ſermonem duntaxat accipiunt, tertij denique & ſermonem & res ipſas, etſi vtraque intelligant, tamen re ipſa negligunt.*

R. Rectè ſentis. Nã aliud eſt id quod dicitur intelligere, quàm quod intellexeris tibi applicare. Medicus iſte de quo loquor, is eſt qui ritè Sacramenta adminiſtrat. Elementa & ritus Sacramentales commodè expoſiti, ſunt huius medici ſermo. Medicamentum quod prębetur, eſt ipſe Chriſtus cum ipſius donis, vnicũ aduerſus mortem remedium, vnico fidei inſtrumento nobis applicandum, vt omnis Scriptura teſtatur. Hinc collige quantopere fallãtur qui & tum ſeſe tum alios decipiunt, qui ſic ratiocinantur, vt dicãt quũ integra Sacramenta, id eſt tum ſigna, tum ipſum corpus & ipſe ſanguis Chriſti qui-

busuis accedentibus præbeantur, à quibusuis quoque accipi: quanuis fructus Sacramenti à solis fidelibus percipiatur, quasi verò Christus aliter quàm ad vitā possit percipi.

202 QV. *Imò nónne Christus etiam iudicat, sicuti seruat, id est, tam ad iudicium incredulorum, quàm ad salutem credentium proponitur?*

R. Omnino: sed receptus seruat, neglectus iudicat. Itaque fallò dicitur, ab aliis quidē ad vitam, ab aliis verò ad mortem recipi, quanuis aliis quidem sit odor vitæ, à quibus nimirum fide recipitur: aliis verò, odor mortis, à quibus nimirum non recipitur. Mors enim non est à Christo, qui semper vita est, sed à Christi contemptu,

203 QV. *Rogo vt ad illud tandem accedamus, à cuius explicatione videtur hæc controuersia præcipuè pendere, nempe ad ipsam institutionis verborum genuinam ac veram explicationem.*

R. Quámnam autē illam esse censes?

QV. *Nempe*, Hoc est corpus meum, quod





quod traditur pro vobis: &, Hoc est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effunditur in remissionẽ peccatorum.

℟. At ego Institutionem dico non tantùm quid detur, sed etiam quid & à ministro, & ab iis qui ad hęc mysteria accedunt præscribatur comprehendere. Nam hæc omnia ad actionem hanc concurrant oportet.

Q V. *Vt hoc concedam, puto tamen de ijs demum quæ recitaui controuerti.*

℟. Imò etiam de aliis quoque. Nosti enim etiam quæri quid frangatur: & verbum *Facite*, à nonnullis accipi pro *Sacrificate*, & rursũ pro *Corpus & sanguinẽ Christi facite ex pane*, sicut nuper Santesiũ scribere non puduit. Sed hæc omnia suo loco, fauente Deo, expendemus.

Q V. *Nunc igitur quæso, vt eorum quæ* 204
proposui explicationem aggrediare: ac primùm quidem dicito quomodo illud, Hoc est corpus meum *interpretandum censeas.*

℟. Constare hanc enuntiationem dico Subiecto, Attributo, & Copula. Subiectum declaratur pronomine Hoc, At-

tributum voce Corporis. Copula est verbum substantiuum *est*.

205 QV. *Quódnam autem est Subiectum?*

Ꝛ. Id videlicet quod Christus acceptum & fractum porrigebat, nempe panis ille, vt exprimunt Euãgelistæ. Itaque *Hoc* nihil aliud declarare potest, quàm *Hic panis*, elementum videlicet huius actionis.

206 QV. *Quódnam est autem attributum?*

Ꝛ. Corpus illud ipsum Christi traditum, & sanguis ille effusus pro nobis. Idcirco enim additę sunt illæ determinationes, *Qui traditur*: &, *Qui effunditur*.

207 QV. *Ista verò quomodo sic copulãtur, vt vnum possit de altero dici?*

Ꝛ. Nempe hæc est disparatorum natura, vt quum toto genere dissideant, vnũ de altero dici propriè nulla ratione possit: quoniam alioqui res à rebus sua specifica forma non discernerentur. Itaque si propriè accipias hanc enuntiationem, nõ minus falsum fuerit panem esse corpus Christi, quàm cucurbitam esse hominem. Figurata sit igitur oportet.

QV. *Atqui non ignoras, tum à Transsub-*

substantiationis, tum à Consubstantiationis defensoribus mordicus τὸ ῥητὸν retineri.

℟. Ita quidem aiunt. Sed de illis postea viderimus. Mihi nũc satis est nostratũ Ecclesiarũ doctrinã declarare, & quibus rationibus nitatur ostendere, tantisper dũ contrarias sententias oppugnemus.

Q. V. *Qua in re igitur statuis Figuram? Num in Subiecto?* 208

℟. Nequaquam. Verus enim ille panis acceptus fractus, & præbitus, illo pronomine propriè monstratur.

Q. V. *Num solus?*

℟. Omnino. Nam (vt suo loco dicemus) nullo modo conuenit Synecdochen hic statuere. Hoc tamen verum est, non communem simpliciter panem, sed panem Sacramentum sic demonstrari, id est, panem ad vsum Sacramentalem adhibitum.

Q. V. *Num igitur tropum statuis in attributo?* 209

℟. Scio quosdam nobis hoc tribuere, idque non vno calumnię genere. Nam alii nos accusant quasi per Christi corpus

hîc intelligamus Ecclesiam: quasi verò sic insaniamus, vt illa verba, *Qui pro vobis traditur*, non animaduertamus de mystico corpore dici non posse: aut quasi in altero mẽbro sanguis aliquis mysticus poni possit. Alii verò, quoniam Corpus interpretamur Sacramentum, siue signum corporis, statim concludunt vel bicorporem à nobis Christum statui, vel imaginarium nescio quod corpus à nobis Christo tribui, quorum tamen neutrum (Deo sit gratia) à nobis admittitur. Tantùm enim absumus ab eo vt dicamus, aliud quàm verum illud & vnicum Christi corpus traditum pro nobis, de illo pane dici, vt contrà contendamus totum Christum Deum & hominem illic ab altera natura, corporea videlicet, denominari, ídque ob eã causam, quam suprà exposuimus.

210 Q V. *Atqui si neque in subiecto, neque in attributo tropus est, nusquam est.*

R. Malè colligis. Omittis enim tertium, id est copulam, quæ subiectum cum attributo connectit. Dico igitur in ipso attributionis genere tropũ esse, id est verum



rum quidem & propriè acceptum corpus de vero quoque & propriè accepto pane dici, sed figuratè, non proprié. Sic si dicamus Circunciſionem eſſe fœdus: vel Sceptrum eſſe regnum, vel Agnũ Paſchæ fuiſſe Chriſtum, neque in ſubiecto, neque in attributo: ſed in copula, ſiue attributionis genere tropus ſtatuatur neceſſe eſt.

Q V. *Cur ergo Corpus interpretamini Sacramentum, ſiue ſignum, ſiue figuram corporis?* 211

R. Idem eſt, *Panem illum eſſe corpus Chriſti, non propriè, ſed quatenus illud Sacramentaliter ſignificat:* &, *Panem non eſſe illud corpus, ſed duntaxat illius corporis Sacramentum.* Itaque vaniſſimum & futiliſſimum eſt diſcrimen quod aduerſarii noſtri nobis hîc obiiciunt. Vtroque autẽ modo loquutos eſſe Patres, tum Græcos tum Latinos, ſæpius eſt à noſtris demonſtratum, quàm vt repetere toties dicta oporteat.

Q V. *Quémnam autem hunc tropum eſſe dicis?* 212

R. Metonymiam Sacramentalẽ, qua

fit vt rei Sacramentaliter significatę nomẽ signo tribuatur: siue qua signũ dicitur esse idipsum cui significando adhibetur, id quod antea plurimis similibus exemplis probaui.

QV. *Cur istud Sacramentaliter toties inculcas?*

Ꝛ. Vt semper occurram putidissimæ illorum calumniæ, qui quoties audiunt signi & significationis nomen, clamitant Cœnam Domini à nobis euacuari, & velut in picturam inanem trãsformari. Metonymiam igitur Sacramentalem intellige, qua fit vt signum dicatur id esse cui externis sensibus, congruente analogia, & ex Dei voluntate significãdo sic adhibetur, vt simul intellectui & fidei res illa significata, verè ac re ipsa spiritualiter recipienda & obsignanda præbeatur.

213 QV. *Sed durum est, vt aliquid dicatur id esse quod dùntaxat menti significat.*

Ꝛ. Imò, sicut suprà docuimus, multò est accommodatior & expressior, ac proinde etiam vsitatior hæc figurata loquendi ratio, quàm si propriè loquendo signa diceren-



cerentur rem aliquam significare. Quum enim id ipsum esse dicantur quod significant, animum spectãtis à re visibili ad invisibilem contemplandam, & fide apprehendendam totũ traducũt: qui est Sacramentorum finis.

Q. *Velim tamen mihi certis & euidentibus rationibus istud confirmari, nempe figuratè accipiendas illas enuntiationes*, Hoc est corpus meum: &c. *&*, Hoc est sanguis meus, &c.

R. Faciam, & quidem libens. Quid enim mihi gratius esse possit, quàm hãc veritatem sic patefacere, vt omni remoto fuco, qualis est, talis ab omnibus perspiciatur? Probationes uerò sic distribuã, vt primo loco adferam argumenta ab his ipsis institutionis verbis, *Hoc est corpus meum*, & ratione prædicationũ desumpta. Quod autem de corpore dicemus, de sanguine quoque intelligi velim.

Q. *Quódnã igitur est primum tuum* 214
argumentum?

R. Quod accepit, fregit, porrexit, accipi & comedi iussit Dominus, hoc ipsum

dixit esse corpus suum.

Accepit autem panem illum, fregit, porrexit, &c. testibus Euangelistis.

Ergo panẽ illum dixit esse suum corpus. Sed disparata de se dici propriè non possunt. Disparata sunt autẽ panis & corpus Domini. Ergo propriè vnum de altero dici non potest. Supereſt igitur, vt quũ tamen vera sit Christi oratio, figuratè intelligatur.

215 QV. *Alterum verò argumentũ quódnam est?*

R. In omni propria & regulari attributione, vel genus, vel differẽtia, vel proprium, vel accidens dicitur de specie, vel species de indiuiduo. Atqui corpus Christi, neque genus, neque differentia, neque proprium, neque accidens, neque species est, panis respectu. De pane igitur dici nullo proprio modo potest. Dicitur tamen, & quidem verè, quum à Christo dicatur. Ergo figuratè.

216 QV. *Cedò etiam tertium.*

R. Si de hoc pane propriè & regulariter dicitur corpus Christi, quæ conue-

niunt





niunt corpori, conueniunt pani, & contrà. Atqui nasci ex Virgine, esurire, mori pro nobis, crucifigi, resurgere, &c. conuenit corpori Christi: pani verò, minimé. Et contrà, seri, meti, triturari, pinsi, coqui, cóueniunt quidem pani: corpori autem, nullo modo. Ergo regulari & vsitato modo panis dici non potest esse Christi corpus.

Q. *Cedò quartum.* 217

R. Si naturalis est illa enuntiatio, aut idē dicitur de seipso, aut non idem sed diuersum. at neutrum verum est. Ergo naturalis esse illa enuntiatio non potest.

Idem enim non prædicari de seipso ex istis rationib⁹ apertè liquet. primùm, quia in identica enūtiatione, subiectum & attributum oportet non re, sed nomine tantùm differre, vt quum dico, Ensis est gladius, Clypeus est scutum, Filius Virginis est Christus. Atqui panis & corpus Christi non sunt synonyma, sed res prorsus diuersæ: ergo identicam enuntiationem nō constituunt. Quòd si quis pertinacior velit eandem substantiam duabus istis vocibus declarari, prius ostēdat oportet, aut

panem desiisse panem esse, aut corpus desiisse esse corpus. Præterea in identica propositione, Termini sunt ἀντιστρόφοι, siue mutuò recurrentes. Itaque si identica esset enuntiatio, tam verè dici posset corpus Christi esse panem coctũ in fornace, quàm verè dicitur panem esse corpus traditum pro nobis. Non est igitur identica enuntiatio.

Rursum autem diuersum nihil hîc naturaliter dici, sic probatur necessaria consequutione. Si corpus vt diuersum quidpiã regulariter de pane diceretur, certè vel essentialiter, vel vt causa, vel vt accidens diceretur. Essentialiter non dici in secundo argumento ostendimus, quum neque se habeat ad panem vt genus, aut differẽtia, neque vt species ad indiuiduum. Causalis autem attributio multò minus esse potest. Nam neque efficientis causæ, neque finis rationem habet corpus ad panem: causæ verò interiores, putà materia & forma, ad essentialem attributionem referuntur. Accidentalis denique attributio esse nequit, quum corpus non sit accidẽs,

&



& etiam si corpus esset, accidere pani nō possit.

Restat ergo vt neutro modo naturalis siue propria esse possit illa enuntiatio.

QV. *Cedò quintum.* 218

Si panis ille esset propriè corpus Christi, esset quoque hypostaticè vnitus Filio Dei. Ex quo tria illa absurdissima & falsissima consequerentur. Eandem esse Sacramentalem & hypostaticam vnionem: Christum in hoc Sacramento constare ex tribus naturis hypostaticè vnitis: denique euehi panem & vinum in conditionem infinitè meliorem quàm ipsammet Ecclesiam. Sic enim panis fuerit propriè ipsummet Christi corpus: at Ecclesia non nisi figuratè seu mysticè Christi corpus est: nec fidelis vllus sit ipsemet Christus, sed duntaxat Christi particeps.

QV. *Adijcè quæso etiam sextum.* 219

Si panis ille est propriè corpus Christi, & vinum illud propriè sanguis Christi, vt separata sunt signa, ita etiam separatum fuerit corpus à sanguine: aut vtrunque signum erit propriè totus Christus. Hoc au-

tem posterius si verum est, non iam seruabitur τὸ ῥητὸν simpliciter, sed duplex Synecdoche statuetur, siquidem propriè & plenè dicendum fuisset, *Hic panis est corpus meum, & sanguis meus:* &, *Hoc poculum est sanguis meus, & corpus meum.* Et quorsum obsecro, duplici elemento opus esset?

220 QV. *An etiam sextum adieceris?*

Ꝛ. Quod est cum alio, siue in alio, siue sub alio, citra commixtionẽ, etiam arctissima vnitione coniunctum, non potest propriè dici idipsum esse. vt exempli gratia, etiam si anima & corpus hypostaticè iuncta sint, nemo tamen corpus esse animam, aut animã esse corpus dixerit. Multò minus igitur Sacramentalis coniunctio, effecerit vt panis ille propriè sit ipsum Christi corpus.

221 QV. *Num etiam septimum?*

Ꝛ. Si panis ille propriè est Christi corpus, ergo desierit esse panis, quum hæ duæ res sint toto genere disparatæ. At si desiit esse panis, non iam duabus rebus, vna terrena, altera cælesti constabit Eucharistia, nisi rem terrenam appelles spectra, id est

id est accidentia sine subiecto. His autem sublatis, analogia substantiarum sublata fuerit, ac proinde sublata Sacramenti ratio. Figuratè igitur panis ille dicatur corpus Christi necesse est.

Iam autem accedo ad alterã argumentorum classem, petitorum videlicet à verbis quæ superiora illa, Hoc est corpus meum, præcedunt & sequuntur, & à circunstantiis & collatione aliorum Scripturæ locorum.

QV. *Cedò primum?* 222

R. Dico ex verbis præmissis, nempe, *Accepit, Fregit*, liquere hoc quod accepit nõ potuisse à Christo propriè suum ipsius corpus dici, vtqui non seipsum seipso accepisse, tenuisse, fregisse dici possit, sed manifestè cernentibus discipulis panem sui corporis manibus acceptum fregerit & dederit. Itaque Augustinus vt Sacramentalem Metonymiam emolliret, Christum dixit QVODAMMODO semetipsũ manib⁹ suis gestasse, quatenus videlicet, ne inane Sacramentum putetur, signo nomen rei significatæ tribuitur. Idem quoque de po-

culo existimãdũ est, vt suo loco dicemus, in quod certè Christus sanguinẽ illũ suum adhuc corpore suo contentum, nunquam effudit.

223 QV. *Cedò alterum.*

R. Si propriè diceretur corpus de pane, & sanguis de vino, propriè quoque de pane dicerentur verba subsequẽtia, *Quod pro vobis traditur:* &, *Qui pro vobis effunditur.* quod vtrunque falsissimum est.

224 QV. *Cedò tertium.*

R. Ex eo quod adiungitur, *Hoc facite in mei recordationem*, liquet de pane propriè non dici corpus, nec de vino sanguinem, quoniam simul eo ipso loco adessent vbi sunt panis & vinum: recordatio verò non est præsentium, sed absentium. Ideo Bernardus in Cantica, Sermone 33. hac ipsa de re differens, Fidem & Speciem (id est, id quod oculis cernitur) itémque Memoriam & Præsentiam opponit.

225 QV. *Cedò quartum.*

R. Idem liquet ex his verbis adiunctis, 1. Cor. 11. 16. *Hoc quotiescunque feceritis, mortem Domini annuntiabitis donec vẽ-*

veniat. Certè qui venturus est, nondũ adest: aut si iam propriè venit, celebrãda nõ sunt amplius hæc mysteria. Hæc autẽ omnia consequuntur, nõ modò si panis est propriè corpus, sed etiam si Cum, vel In, vel Sub pane & vino adest eo ipso loco vbi est panis & vinum.

Q V. *Cedò quintum.* 226

℟. Sic colligo à temporis circunstantia. Quo tempore Dominus de vino illo dixit, *Hoc est sanguis meus qui effunditur pro multis in remissionem peccatorum*, nondum extra vasa corporis Christi effusus erat, neque vnquam postea legitur aliquo vase collectus. Ergo in illo poculo tunc nõ fuit propriè sanguis ille Christi pro nobis inter carnificum manus effusus, neque etiam nunc est. Multò minus igitur ipsum vinũ tunc fuerit aut nunc est propriè sanguis ille pro nobis effusus. Sed figurata est illa enuntiatio, quæ Christum ipsum & eius passionem, omniáque ipsius dona nos verè spiritualiter per fidẽ participare nobis testificatur.

Q V. *Cedò sextum.* 227

℟. Idem colligo ex eo quod scripsit Chrysostom. Christũ ipsum ex iisdẽ signis participasse. homil. in Matth. 83. Atenim si propriè de illo pane quem Christus comedit, diceretur ipsius corpus, & de illo vino quod Christus bibit, ipsius sanguis, Christus quoque semetipsum propriè comederit & biberit.

228 Q. *Cedo septimum.*

℟. Colligo ex aliis Scripturæ locis, propriam hanc enuntiationem non esse. Quoties enim disparata eôdem subiecto attribuũtur, necesse est vt aliquid horum propriè, aliquid figuratè accipiatur, quod exemplis prolatis sic explico. Euangelium dicitur potentia Dei ad salutem, Rom. 1. 16. Eiusdem capitis initio dicitur doctrina diuinitus patefacta de Filio Dei: quæ duo quum diuersa sint, necesse est vnum propriè, alterum figuratè dictum, intelligi.

Fidem qua seruamur, esse notitiã veri Dei & Iesu Christi, non obscurè colligitur ex Ioann. 17. 3. Eadem definitur esse ὑπόστασις rerum quæ non sunt. Vnum igitur istorum

ſtorum propriè, alterum figuratè dictum fuiſſe oportet.

Ioannes non eſt Helias, Ioann. 1. 21. Et eſt Helias qui venturus erat. Matthæi 11. 14. In altero igitur figuram fateamur neceſſe eſt.

Herodem hominem propriè fuiſſe conſtat. Idem dicitur Vulpecula. Alterũ ergo figuratè dictum intelligetur. cuiuſmodi exempla infinita depromi poſſunt: neque tamen hæc à me proferuntur, quaſi eâdẽ figura explicanda, ſed vt oſtendam verũ eſſe quod dixi: nempe quoties diſparata de eodem ſubiecto dicuntur, oportere alteram attributionem eſſe propriam, alterã figuratam.

At poculum illud, id eſt vinum poculo contentum modò eſſe ſanguis, modò eſſe Teſtamentum in ſanguine dicitur: & tamen conſtat illud ipſum eſſe propriè genimen vitis, vt à Chriſto vocatur. Non igitur eſt propriè humanus ſanguis, ac multò etiam minus eſt propriè vltimæ morituri volũtatis teſtatio: ſed ſanguis dicitur, quoniam eſt illius ſanguinis Sacramentum,

quo fœdus illud seu testamentũ remissionis peccatorum,& vitæ æternæ nobiscum sancitur:itémque est testamentum in sanguine,quoniã est eius testamenti pignus, quod sanguine Domini sancitum est. Sicut Dominus apud Mosem eodem loco quum Circuncisionem vocasset fœdus, ipsemet postea signum fœderis interpretatur.

129 Q. *Cedò octauum.*

R. Collatio loci,1.Corinth.10.16.vbi dicitur panis ille, communio corporis, & poculum illud communio sanguinis,cum Christi verbis, quibus panem illum corpus suum, & poculum illud sanguinem suum vocat, omnino ostendit figuratum esse vtrunque hoc dictum, vel saltem illorum alterum,nempe vel illud Pauli,vel illud Christi.

Q. *Nempe illud Pauli,ex proprio Christi dicto exponendum.*

R. Ergo tandem eò deueneris, vt fatearis non euertere testamentũ Filij Dei, quicunque tropos in Sacramentorũ controuersia tuentur. Sed ad rem. Facile est ostẽ-

ostendere ex argumento nostro septimo, & proximè præcedente, vtrunque hoc esse figuratum, siue illud ex isto, siue istud ex illo interpreteris: siquidem vtraque hęc enuntiatio, *Hoc poculum*, seu vinum, *est sanguis meus*: &, *Hoc vinum est communio sanguinis mei*: (idem autem de pane statuendum est) diuersa est ab ista, *Hoc vinum est genimen vitis*, quam tamen maximè propriã esse statuas oportet, atque adeò mordicus retinendam, quia sublata signi substantia, sicuti diximus, tolleretur analogię fundamentum.

QV. *Responderim & Christum & Paulum istud vt satis perspectum præteriisse. Quorsum enim docuisset discipulos panem quem manibus tenebat esse panem, & vinum esse vinum? Sed id certè quod nunquã alioqui credidissent ipsos doceri oportuit, nempe hæc quoque quæ manibus tenebat & præbebat In, Sub, vel Cum pane & vino: esse corpus suum, & sanguinem suum.*

R. Ergo Synecdochen statuas necesse est in his vocibus, *Panis iste*, & *Poculũ istud*, ac proinde dum tropos vitare studes

in tropũ incideris. Sed istã Synecdochen suo loco expendemus, nẽpe quum ad refutationem ventum erit. Tu verò ne sic quidem effugeris. Nam qualicunque & quantacunque coniunctione duo disparata (cuiusmodi sunt panis & corpus, vinum & sanguis) inter se re ipsa connexueris, nunquam tamen effeceris vt vnũ propriè dici possit esse alterum. Imò ne in cõmixtione quidẽ vnum dici potest esse alterum, sed vtrunque sit tertium quiddam. Itaque hæc demum propria esset enuntiatio, *In, vel sub, vel Cum hoc pane & vino est corpus meum & sanguis meus.* Restat ergo vt fatearis vtrunque hoc & Christi & Pauli dictum esse figuratum, siue hoc ex illo, siue illud ex hoc interpreteris.

230 QV. *Quomodo igitur locum Pauli explicandum putas?*

R. Primùm refellendi sunt qui κοινωνίαν pro distributione accipiunt, quod absurdissimum esse res ipsa clamat, quum panis & vinum sint substantiæ, distributio verò sit actio: & ipse Paulus illud explicãs, vtatur verbo μετέχειν, & scopus ipse Apo-

stoli

stoli postulet, vt Communionem, non autem Distributionem declaret. Deinde mirum est eos qui nullum tropum in re Sacramentaria probant, hoc loco posse cõmunicationem corporis pro communicato seu distributo corpore interpretari, id est actionem cum effecto confundere. Nã ne illud quidem rectè faciunt, quòd hanc distributionem referunt ad Frãgendi verbum, ac si scripsisset Paulus, Panis quem distribuimus, est communicatum corpus. Verbum enim frangendi propriè in hac actione accipiendum esse suprà ostendimus, & apparet ex verbo *Dedit*, quod subiicitur verbo *Fregit*, in Euangelistarũ narratione.

QV. *Κοινωνίαν ergo quid dici putas?*

R. Communionẽ & societatem quæ est vera huius vocis significatio, & nonnihil differt à μετοχὴ, vt annotat Chrysostomus, quãuis verbo μετέχειν & κοινωνεῖν promiscuè vtatur Paulus. Qualis igitur est κοινωνία, id est societas naturalis omnium hominum in natura communi carnis & sanguinis inter se & cũ Christo ipso: talis

238

est κοινωνία ex Dei beneficio, inter omnes fideles & Christum, cui inseruntur, & incorporantur.

QV. *Sed quo genere dicendi, panis ille dici potest hæc ipsa esse κοινωνία?*

R. Dialecticis dicitur causalis attributio, qua proprius effectus tribuitur propriæ causæ, siue materiali, siue efficienti, qui modus pertinet ad quartum modum dicendi per se, vt in scholis loquuntur. Figurata verò est loquutio, quando ponitur effectum pro causa, siue verè efficiente, vt quum Christus dicitur resurrectio & vita, pro Resuscitatore, & Viuificatore: siue, Causa resurrectionis & vitæ: vel materiali, vt quũ dicit Paulus, Vos estis gloriatio mea, id est, materia gloriationis meæ: ceu instrumentali, quæ & ipsa est efficiens ὑπηρετικῶς, id est, subseruiens, vt quum dicitur Euangelium esse potentia Dei ad salutem, id est instrumentum quo efficaciter vtitur ad nos seruandos Deus. Sic etiam hoc loco dicuntur panis ille, & vinum illud esse illa communio, id est instrumenta quibus efficitur & sancitur in nobis illa nostra

stra cũ Christo societas. Instrumentũ hoc Sacramentale est, siue symbolicum, non ipsa causa efficiens, quæ est Spiritus sanctus. Itaque sicut illa figurata Christi enũtiatio, *Hic panis est corpus meum*, per hanc explicatur, *Hic panis est Sacramentaliter corpus meum*: ita hoc quoque dictum Pauli, *Hic panis est communicatio corporis mei*, per hanc propriam explicanda est, *Hic panis est Sacramentale instrumentum, nostræ cum Christi corpore societatis*. Nam ibi est tropus duntaxat in copula, Metonymia videlicet Sacramentalis: hîc verò etiam in attributo est tropus quem Metalepsin vocant, effecto videlicet pro causa posito.

QV. *Aliáne verò præterea proferre* 231
potes argumenta?

R. Maximè, ac in primis quidem illud ab essentiali & συστατικῇ omnium Sacramentorum forma, quæ est in summa vt ex signo & re significata, siue (vt loquitur Irenæus) ex re terrena & cælesti constent. At signatum dici de signo, neque signum de signato, nisi per Metonymiam non potest: ideóque prioris generis propositio-

nes per Verbum significat, (intellige de Sacramentali significatione, cui præbitio quoque semper adiuncta est.) posteriores verò verbo passiuo declarantur: vt, *Hic panis est corpus meum*, id est, *Hic panis Sacramentaliter significat corpus meum: Corpus meum est hic panis:* id est, *Corpus meum Sacramentaliter significatur per hunc panem.* Illam autem formam esse συνεκδοχὴν omniũ Sacramentorum, apparet ex ipsa Sacramenti appellatione, teste his verbis Augustino, Epist. 5. *Nimis longum esset*, inquit, *disputare de varietate signorum, quæ quum ad res diuinas pertinent, Sacramenta appellantur.* Liquet etiam ex eo quòd omnibus Sacramentis id commune est.

Sicut in arbore vitæ, quatenꝰ Sacramẽtum est, cõsideratur res externa & signũ, planta visibilis: res spiritualis & cælestis, Iesus Christus, vita: In arbore scientiæ boni & mali, planta itidẽ naturalis, & experiẽtia boni & mali: in Circuncisione, præcisio pelliculæ, & sublatio peccati, imputatione iustitiæ, & regeneratione: in Paschate Agnus & Christus: in petra deserti,

ti, rupes & Christus sanguinẽ fundẽs: in Baptismate nubis, nubes & mare, & sanguis Christi: in Mãna, panis miraculo datus, & caro Christi: in Sabbato, dies septimus cum cessatione ab opere, & mortificatio carnis, & æterna vita: in Sacrificiis, victimâ mactata, & oblatio Christi per semetipsum facta: in Sanctuario, penetrale Templi & cęlũ: in Tabernaculo, opus manufactum, & corpus Christi: in Cherubin, imagines super Arcam & Angeli: in Propitiatorio, operculum deauratum, & Iesus Christus. Sic in apparitione columbæ, columba & Spiritus Sanctus: in Baptismo, aqua cum ablutione, & sanguis Christi nos emundans: in linguis igneis, ignis naturalis & Spiritus sanctus. Sic denique in Cœna Domini, panis & vinum signa, corpus & sanguis Domini Sacramentaliter significata.

QV. *Sed multa ex illis sunt potius typi quàm Sacramenta.*

R. Esto. Communis tamen hæc est formatorius συμβολικῆς θεολογίας. Idcirco in ipsis scriptis Apostolicis, vocantur

μεῖα, σφραγῖδες, τύποι, ἀντίτυπα, σύμβολα, σημεῖα, & εἰκόνες. & à Patribus quoque præterea figuræ, μυστήρια, ἀντίτυπα, τύποι, signãtia, similitudines, ὑπομνήματα, σύμβολα, μυστήρια, & similibus aliis nominibus.

QV. *Quid igitur ex his omnibus concludis?*

R. Neque signatum de signo, neque signum de signato aliter quàm metonymicè dici posse, idque esse in Scripturis tam vsitatum, vt ferè nunquam aliter loquantur.

232 QV. *Sed habet Cœna Domini formam quandam propriam & specificam, quæ facit vt de eo idem, quod de reliquis Sacramẽtis non sit statuendum.*

R. Etsi hoc pertinet ad refutationes quas in proprium locum differre volui, tamen vt vis superioris argumenti melius eluceſcat, agè de hac re nunc quoque aliquid dicam. Habere certè cõcedo Cœnã Domini suã peculiarem formã qua à cæteris tum veteribus tum nouis Sacramentis differat. Sed quorsum hoc? Nam hæc forma quæ διαφορικὴ vocãtur, quoniam spe-

cies







ties eiusdem generis discernunt, non tollunt οὐσιωτικὰς & generales, quibus necesse est omnes species constitui, vt ad commune genus referantur. Sic exempli gratia: Animal communis est forma essentialis & οὐσιωτικὴ omnium specierum ad id genus pertinẽtium. τὸ λογικὸν verò est forma qua homo à reliquis animalium speciebus discriminatur. Num verò dixeris hanc specificam formam efficere vt illa generalis, (Animal videlicet) nõ eadem prorsus ratione de homine atque de cęteris animãtibus dicatur? Et quînam, obsecro, si differentia siue proprium (nunc ènim inter ista non distinguo) generis attributionem prorsus eandem tolleret, definitio contãret ex genere & differentia? Itaque differentia illa specifica Cœnæ Domini, quæcunque tãdem illa sit, efficere non potest quominus communis illa ratio quæ Sacramentum constituit, eodem prorsus modo de Cœna Domini, atque de cæteris Sacramentis dicatur. Communis autem illa ratio est, sicuti ostendimus, vt signum externum rem aliam Sacramentaliter signi-

ficet. Nihil verò est signum suiipsius, quū signum sit in earum rerum genere quæ cū alio conferuntur. Ergo manet illud commune sine exceptione, omnibus Sacramentis, signatum non esse signū: quia duo hęc reipsa esse oporteat, ac proinde signatum de signo non nisi metonymicè dici posset. Sed præterea libet hîc ex te quærere, quam tandem hāc differentiam esse statuas?

Q V. *Vnam in Subiecto, alteram in Attributo, tertiam in ipso attributionis modo.*

R. Quámnam verò in Subiecto?

Q V. *Quòd diuersa sint Cœnæ Dominī elementa à Baptismi elemento.*

R. Esto. at quámnam in Attributo?

Q V. *Quòd corpus & sanguis Domini sint res Cœnæ Domini.*

R. Falleris. Nam in Baptismo quoque sanguis Domini est res significata. At quānam in attributione?

Q V. *Quòd sola elementa Cœnæ Domini dicantur in Institutionis verbis, esse ipsum corpus & ipse sanguis Domini.*

R.

℟. Quid inde vis effici?

℣. *Nempe in Baptismo non ipsum sanguinem adesse & dari, sed tantùm fructũ effusi sanguinis: in Cœna vero corpus ipsummet & ipsummet sanguinem adesse, & ori ipsi præberi.*

℟. Verène ista dicantur, suo loco videbimus. Sed, quæso, nõ te animaduertis Sophistam agere?

℣. *Quînam?*

℟. Quoniam permutas quæstiones. Nec enim quærebamus eadémne sit res Cœnæ Domini atque aliorum Sacramẽtorum, sed an alio attributionis genere res illa Cœnæ Domini (siue sit duntaxat fructus, siue sit ipsemet Christus) aliter de pane & vino dicantur, quàm res, siue eadem siue alia, de aliis signis dicatur. Ecce igitur vt tibi concedã quod dixisti, non erunt tamen diuersa attributionũ genera, sed res tantùm diuersæ attribuentur. Et certè nisi ita esset, id est, si aliter signatum de signo diceretur in Cœna Domini quàm in cæteris Sacramentis ac etiam typis, non referrentur ad idem genus, vtpote quod nõ

esset generalis illa forma, omnium eorum οὐσιῶν: quemadmodum si alia ratione diceretur Animal de homine quàm de equo, Animal non esset commune hominis & equi genus.

233 QV. *Nullámne igitur vis esse formã Cœnæ Domini specificam?*

R. Ablit. Sed formam specificam esse dico partim in propriis elementis & ritibus, partim non in ipso attributo, sed in eo attributi qualitate: quia videlicet Christus, vtriusque Sacramẽti res, in Baptismo quidem nobis proponitur vt lauacrum & obsignatio nostri in Ecclesiam ingressus, in Cœna verò vt cælestis ingressorum alimonia.

234 QV. *Hoc volo, ipsum Christi corpus & ipsum sãguinẽ reipsa adesse In, vel Sub, vel Cũ illo pane & illo vino in Cœna Domini: in aqua verò Baptismi non item.*

R. Repugnas igitur eorũ doctrinę qui docẽt Christi quoq; humanitatẽ vbique κατ' οὐσίαν adesse. Sed hoc nunc quidẽ missum faciam⁹. Nõ vides rursum à re permutari quęstionẽ? Nã ne illud quidẽ quere-

ba-

bamus, Sitne res significata præsens eo ipso loco vbi est panis ille & vinum illud, an verò absens: sed illud quærebamus, quo attributionis genere signatũ siue præsens, siue absens, de signo dicatur, propriónè an figuratè: & an alio attributionis genere de Cœnæ Domini quàm de cæterorũ Sacramẽtorũ elementis dicatur. Quæstio igitur de præsentia vel absentia nihil ad rẽ facit, neque vllo modo efficere potest vt id quod est aut datur In, Sub, vel Cũ aliquo, siue præsente, siue absente, propterea dici propriè possit, illud ipsum esse, In, Sub, vel Cum quo est.

QV. *Pergamus igitur ad alia argumenta.* 235

R. Ponò igitur imprimis quod verissimũ est, corpus Christi esse verè organicũ & naturale corpus, quàm naturam neque tum exuerat quum Cœnam institueret, neque illi postea ademit gloria. Pono & illud, propriè dici Christum secundum carnem ascendisse, id est, ex terra sursum supra cælos mutato loci situ profectum.

Pono etiam tertium istud, nempe non

non reuersurum inde quò ascendit ante eum diem quo venturus expectatur.

His positis sic colligo. Si panis ille est propriè corpus ipsum, & vinũ illud est propriè sanguis ipse, imò etiam si propriè In, vel Sub, vel Cum pane & vino sunt eo ipso situ corpus & sanguis, re ipsa quoque præsentia simul, eodémque momento adesse tot locis corpus illud & sanguinem illum, quot locis panis & vinum illud adsunt.

At istud & illa sunt ἀσύστατα. Illa verò sunt certissima. Istud ergo vtrunque dogma quùm sit contra ἀναλογίαν fidei, falsum est.

Vtrunque tamen testatum est Sacris literis. Verum sit igitur vtrunque necesse est.

At duo contradictoria si propriè accipiantur, vera esse non possunt.

Ex his igitur vnum propriè, alterum figuratè accipi necesse est.

QV. *Sed quis positis illis assentietur?*

R. Quisquis sanè Christianus est. Verum enim ac proinde organicũ fuisse corpus

pus
cion
neg
ven
de n
hist
tate
loco
hyp
por
stia
nõ
dit
hist
trop
per
rab
tes
ver
pos
sta
tio
mu
nat
se

pus à Filio Dei assumptũ qui negat, Marcionita est, non Christianus. Qui Christũ negat secundum carnem venisse eò quò veniebat, & abiisse vnde abibat, ac proinde nõ verè abfuisse & adfuisse certis locis, historia Euãgelica refellitur. Qui proprietatem naturalis corporis (id est Non alio loco esse quàm quo circunscribatur) vel ab hypostaticæ vnionis, vel ab ascẽsionis tẽpore tollit, Eutychianus est, non Christianus. Qui ascensionem pro qualitatis nõ loci mutatione, & cælos in quos ascẽdit allegoricè interpretãtur, ab ipsa quoq; historia, & fidei analogia refellitur, & vt tropum vnum vsitatum & fidei analogiæ penitus conuenientem negent, innumerabiles tropos ab analogia fidei discrepantes inuehunt. Qui denique proprietatem verborum in ascensionis historia seruari posse putant cum reali, siue per Consubstantiationem, siue per Transsubstantiationem, præsentia, duo contradictoria simul ponunt: cui contradictioni neque in natura, neque in fidei mysteriis locum esse suo loco demonstrabimus. Valet igitur

hæc collectio,& est inexpugnabilis. Christus secundum carnem propriè discessit à nobis supra cælos, non prius inde rediturus quàm iterum veniat iudicaturus viuos & mortuos. Ergo neque panis qui est in terris, est propriè caro ipsa Christi: neque caro Christi est propriè In, vel Sub, vel Cum pane.

Q V. *Atqui non aliter nunc est vera hæc enuntiatio*, Hoc panis est corpus meũ, *quàm quum eam enuntiaret Christus: imò idcirco nunc vera est, quia tunc vera fuit, eiusdem videlicet institutionis virtute. At tunc erat ipsemet præsens. Ergo nunc quoque præsentia eadem requiritur.*

B. De hoc postea viderimus. Iterum autem dico, siue præsens siue absens Christi corpus statuatur, manere tamen illud non posse propriè panem illum dici esse ipsum Domini corpus. Progredior nunc ad argumẽta quæ à veris humanæ carnis proprietatibus sumuntur.

236 Q V. *Cedò igitur.*

B. Qui proprietatem essentialem alicuius rei tollit, rẽ ipsam tollit: quia sublata

lata definitione, tollitur definitum.

At circunscribi loco, est proprium essentiale corporis.

Ergo qui circunscriptionem loci adimit Christi corpori, corpus ipsum abolet. propositio probatione non eget. Assumptio patet ex corporis definitione, quod dicitur esse quantitas diuisibilis secundum trinam dimensionem, longitudinem, latitudinem, & crassitiem, & cuius partes termino communi, id est superficie clauduntur. item à definitione loci. Locus autem est per quem fit continentis & contenti contactus.

QV. *At ego putabam locum non esse essentiam corporis.* 237

℟. Sic ludunt Sophistæ. Nec enim ipsum locum dicimus esse materiem corporis, sed localitatem (vt ita loquar) necessariò & per se propriam esse corporum: neque corpus tunc consideramus vt materiem, sed vt quantitatem. Rectè igitur Augustinus de ipso glorificato Christi corpore loquens, *Si corpus*, inquit, *ergo in loco.* &, *Tolle spatia corporibus, & corpora*

non erunt. Sed progrediamur.

Tollit circunſcriptionem loci, qui vnũ idémque corpus vbique vel pluribus ſimul locis propriè eſſe contendit.

Hoc facit quiſquis hunc panem vel eſſe propriè corpus Domini tradit, vel reipſa In, Sub, vel Cum pane adeſſe, & externis ſenſibus dari vult, quotcunque locis Cœna Domini celebratur.

Ergo, &c.

Scio confugere nonnullos ad diſtinctionem corporis hyperphiſici, nõnullos itidem ad omnipotentiæ κρυσφυγετόν. Sed quorſum hoc? Naturali enim ſublata, generali & συσταπκῆ forma qua omne corpus corpus eſt, conſequetur corpus eſſe deſiiſſe cui corporis forma illa eſſentialis adimitur: & Sophiſtas agunt qui ab accidentalibus proprietatibus ad eſſentiales argumentantur: qua de re ſuo loco dicturi ſumus.

238 QV. *Habéſne etiam aliud quod proferas?*

R. Habeo, & quidem maximi momenti. Nam ſublato proprio, perpetuo & ne-

necessario effecto, tollitur quoque antecedens causæ. Dico igitur ex Ioann. 6. v. 51. quicunque participarit Christum, vitam æternam participare. At constat multos sumere Cœnæ Domini elementa ad iudicium. Horum igitur nemo Christum ipsum participat. At si propriè & re ipsa panis esset corpus Christi, & vinum illud sanguis Christi, siue per transsubstantiationem, siue per realem Consubstantiationem, quisquis elementum sumeret, rem quoque propriè & re ipsa sumeret. Ergo, &c.

QV. *Non ignoras quid ad propositionem huius argumenti respondeatur: intelligi videlicet dictum Ioannis & alia eiusmodi de ritè & dignè accedentibus.*

R. Scio, & (vt spero) facilè hoc refutabo, vt & illam triplicem siue quadruplicem manducationem.

QV. *Quid igitur ex his omnibus concludis?*

R. Nempe enuntiationes illas, *Hoc est corpus meum quod traditur pro vobis*, &, *Hoc est sanguis meus qui funditur pro*

multis in remissionem peccatorum, esse figuratè, Metonymia nimirum (Sacramentali) necessariò interpretãdas, nec tamen propterea de Sacramenti veritate, aut vera ipsiusmet Christi perceptione quicquam detrahi.

239 QV. *Velim autem & illud mihi explicari, quo tempore putes Cœnam Domini celebrandã. Audimus enim à Iudeis Christianos rideri, qui tam manè cœnent, & quidem contra Christi ipsiúsque vetustissimæ & Apostolicæ Ecclesiæ morem.*

R. Christus duabus de causis hęc mysteria vespere celebrauit. Voluit enim nouum quod instituebat Sacramẽtum, cum ἀντιτύπῳ comparare: Pascha verò inter duas vesperas mactabatur. Et præterea morem hunc veterum fuisse constat, vt semel duntaxat, vespere videlicet discumberent. Nam ἀκρόδειπνα & ἄριστον (quod prandiũ vocarunt, opinor, Latini quasi perendiũ, quòd nihil ferè eo ipso die coctũ sed ex perendiarum epularum reliquiis aliquid ferè, & quidem non accumbendo, sumeretur) neque omnium, neque iustarum

rum epularum instar erat. Christum igitur mirum non est quum in vltimum suũ epulum hæc mysteria veluti Testamenti sui confectionem distulisset, vespere potius quàm manè hunc ritum instituisse. Veterem autem Ecclesiam, donec Agapæ paulatim sublatæ sunt, suas epulas finiuisse ista Cœnę Domini celebratione mirũ videri non debet: quod tamen non fuisse vbique obseruatum, liquet non modò ex Iustini Apologetico posteriore, sed etiam ex aliis veterum testimoniis. Christum verò de temporis circunstantia quicquam præcepisse ex Institutionis verbis colligi nullo modo potest. Rectè igitur obtinuit consuetudo vt in matutino potius conuẽtu, & à ieiunis quàm pransis, Cœna Domini celebretur, vt ad audiendum Dei verbum, & cæleste hoc mysterium summa attentione & reuerentia exequendũ eò paratioribus animis accedatur.

QV. *Vbi de loco nihilne statuit Dominus?* 240

R. Locum nempe publici Ecclesiæ cœtus instituit, quum eam inter discipu-

los suos ordinaret: neque diceret, *Hoc facito vnusquisque*, sed, *Hoc facite*. Et Paulus diserte dicit, ὅταν συνέρχεσθε, Quum conuenitis, id quod etiam indicat σύναξεως nomen, & veteres omnes Liturgię ostendũt: & ipse etiam scopus horum mysteriorum in quibus mutua in Christo consociatio sancitur, id flagitat. Certum autem aliquẽ locum statuere quadam religione (sicut non licebat olim Pascha celebrare, nisi eo vno loco quem Dominus elegisset) Iudaicæ foret superstitionis.

241 QV. *Quid igitur de Cœna Domini cẽses in priuatis domibus celebrata?*

℟. Priuatas domos nihil moror, si Ecclesia, id est communis cœtus in iis conueniat, vt & veteribus illis temporibus necesse fuit sub Romanorum Imperatorum tyrannide, & nostris temporibus nimium multis locis adhuc necesse est.

QV. *Sunt tamen qui nocturnos conuentus priuatos semel damnent.*

℟. Non temerè, neque aliter quàm summa necessitate tolerandos fateor nocturnos cœtus: vnde etiam olim accepta occa-



occasio falsò exprobratæ Christianis λυχνομυοχείας, nostris etiam temporibus non minus impudenter Gallicis Ecclesiis obiectæ. Sed si qui propterea semel damnãdos putant qui feruente sæuissima persequutione, nostris temporibus nocte conuenerũt, aut adhuc conueniunt, certè damnent oportet totam verè Apostolicam Ecclesiam. Sed facile fuit illis quorum cœtus potentia & gratia suorum Principum freti, nunquam in has angustias redacti sunt, de Gallis & aliis gentibus eò adactis, vt vel carendum eis fuerit omni Verbi & Sacramentorum Ecclesiastica administratiõnẽ, vel quæcunque conueniendi, & mutuò sese cõsolandi occasiones arripiendæ, facile inquam, illis fuit aliorum factũ reprehendere: à quibus vicissim his licet ad totam veterem purissimam Ecclesiam, ad conscientię testimonium, ad confessionis martyrum fructus, ad ipsum denique Christi tribunal prouocare. Et isti scilicet fratrum accusatores, tales sese in illo suo vix annuo bello præstiterunt, quales eos fuisse & esse constat qui quinqua-

ginta iam annorum persequutionis horribilissimæ pondus ferunt, neque dũ adhuc, Dei gratia, sub hoc onere fatiscunt.

242 Q. V. *Redeamus ad rem. Cœnámne Domini censes alibi quàm in communi publicóque cœtu celebrandam?*

R. Fuit hæc initio veteris Ecclesiæ consuetudo, vt ægrotis à publico conuentu absentibus, transmitteretur per Diaconos Eucharistia, quo tempore videlicet à cæteris in eo conuentu mysteria celebrabantur, quoniã quos vnus morbus adesse corpore prohibebat, haberi pro præsentibus par erat, neque dubito quin ea res magnam ægrotis consolationem attulerit: quem morem ego magnopere velim restitutum. Sed an quo tempore Cœna Domini in Ecclesia non administratur, expediat apud ægrotos celebrari, de hoc valde ambigo.

Q. V. *Quamobrem?*

R. Primùm quoniam Cœna Domini non est priuata familiæ alicuius actio, sed merè Ecclesiastica: ideóque sic domesticum Phase mactabatur in Israele, vt

ta-



tamen non alio tempore id fieret, quàm quo totus Israel hoc mysterium celebrabat. Aliquid tamen diuersum hîc esse agnosco. Etsi enim operæpretium esset in orbe toto Christiano hæc mysteria quanuis diuersis locis, tamen quotidie etiam, si fieri posset, vel saltem statis diebus celebrari, quod ad illam mutuam κοινωνίαν testandam multum prodesset: tamen quum neutrum hoc obtineri multis iustis ac necessariis de causis possit, illud videtur nescio quomodo cum institutione Cœnæ Domini pugnare, vt tota cessante reliqua Ecclesia, domus aliqua extra ordinem illa mysteria celebret. Deinde nisi apud omnes ægrotos id fiat, quomodo vitabitur προσωποληψίας suspicio? Quod si apud omnes ægrotos celebranda est Cœna Domini, viderint pastores quomodo possit eius prophanatio vitari, & ipsi tantis laboribus sufficere. Nihil igitur me mouet quorundam consuetudo, quantumuis vetus: quia rationibus nõ exemplis iudicandum est. Denique illud certum est, ex hoc more tria pessima in Ecclesiam esse inue-

cta, nempe initio quidem signi vtriusque: deinde, vino acescente, tantùm alterius signi asseruationem, qui error diserte contra Sacramentorum naturam facit. Hinc igitur alius error exortus, quasi magica quadam pronuntiatione alligata sit signo res significata. Denique deuentum est eò, vt salus quodammodo sit illis signis alligata.

QV. *Sed num propter hos abusus existimaueris ægrotos hac consolatione priuandos?*

R. Ego quidē imprimis curā habendā censeo prę cidēdorū istorum errorum. neque puto priuari ęgrotos aut Verbi aut Sacramentorum consolatione, si doceantur, quoniam publicè cum cæteris fratribus celebrandæ Cœnæ tempus fortè in ipsorum morbi, vel etiam mortis tēpus nō inciderit, idcirco eius Cœnæ fructu quam antea celebrarint, minimè priuari. Nec enim Sacramentorum vis ad tempus quo sumuntur est restringenda, sed ad vniuersæ vitæ momenta diffunditur. Quòd si quis vitari illa omnia incommoda, & in

cœtu



cœtu apud ægrotũ id petentem celebrari hæc mysteria posse putat, his quidẽ cõditionibus ei cõsuetudini nõ interceſſerim.

Q.V. *De azymo verò pane quid censes?* 243

R. Etsi ea de re nolim vt de summa rerum contendere, liberè tamen dico næuum esse duplicem in iis Ecclesiis quæ azymo, potius quàm fermentato pane vtuntur. Hoc.n.& Iudaismũ sapit,& minus est quotidiani cibi analogię accõmodatũ.

Q.V. *Atqui Christus azymis panibus primum benedixit.*

R. Nempe quoniam eo tempore Cœnam hanc instituit, quo non nisi azymis panibus licuit Iudæis vti. Sic autem argumentum retorqueo. Si Christus ad Cœnã hãc, eo qui tũ vsitatus erat pane vsus est, idẽ quoque nobis faciendum, id est communem vsum assumendum præcepit.

Q.V. *De adoratione quid sentis?* 244

R. Adorari vbique Deum, ac præsertim in sacris mysteriis oportere dubium non est: neque vllam esse Ecclesiam arbitror, in qua non adhibeatur solennis quædam vt gratiarum actio, ita etiam & inte-

rior & exterior adoratio quum hæc mysteria tremenda, quasi in cælis potius quàm in terris, celebrantur. Sed in ipsa panis sumptione adoratio apud mensam quàm sit periculosa, vtpote quæ ἀρτολατρείᾳ occasionem aperuerit, vnde tandem homines ad μετουσίαν præcipitauit Satan, res ipsa demonstrat. Honestam hîc igitur reuerentiam in Deum directam sufficere rectè sapientes iudicarunt.

245 QV. *De ostentatione autem illa quam ἐνδείξιν Græci vocant, túne eam admiseris?*

R. Scilicet illius ἀρτολατρείας parentem, etiam si quis nunc esset eius vsus, vllus satis prudens approbarit. Sapit autem hic ritus partim veterum Iudaicorum sacrificiorum reliquias, in quibus illæ agitationes vsurpabantur, Teruma & Tenupha vocatæ: partim Græcanicum est cōmentum, vt alia pleraque histrionica potius quàm religiosa, vt ex eorum Liturgiis animaduertere licet. Quidni enim dicam quod res est? Nam illis etiã aquæ admixtionẽ debemus, quæ postea in nouum

uum Sacramentum euasit.

Q. *Sed hæc vetusta sunt.*

R. Quid tum? Est tamen illa Cypriani sententia tenenda, non quid hic vel ille fecerit, sed quod Christus præcepit, id demum faciendum, quum de vero eius cultu agitur.

Q. *Nũ verò quosuis ad Domini Cœnam admiseris?* 246

R. Scilicet, quod ne domi quidem suæ quisquam fecerit vt quosuis sese pro domesticis venditantes admiserit: quod ipsi idololatrę non fecerũt, clamitantes in suis Sacris, procul ô procul este prophani: quod olim Dominus tam seuerè prohibuit, vt alienum etiam ignem suis Sacris illatum tam impatienter tulerit: qui tot legibus externis, etiam per imprudentiam pollutos, iussit prius purgari quàm eos ad suam ædem, ac præsertim ad Paschæcæremoniã admitteret: id iure nunc factum eo nomine censebitur, quòd credẽdus sit dignè ad mẽsam Domini accedere, quisquis audita cõcione sese eò ꝓripit? At ego pastoribꝰ suas oues necessariò

cognoscẽdas arbitror eo quẽ ipsa ratio cõstituit ordine. Primùm ergo vitãdę ꝓphanationis causa, nõ puto bona conscientia admittẽdos extraneos, Pastori prorsus incognitos. Deinde quos ætas ipsa osteditnõ esse suæ ipsorũ ꝓbationi faciẽdę idoneos, nõ quidẽ vt indignos, sed vt nõdũ aptos cõmonefaciẽdos ne sibiipsis exitiũ accersant. Ex adultis verò admittẽdũ neminẽ, nisi q. fidei suæ rationẽ ita quoquo modo ediderit, vt eũ nõ modò ĩ Ecclesia Dei natũ, sed etiã Christianũ esse ꝓbabiliter cõiiciat Pastor, qui omniũ ouiũ suarũ rationẽ est corã Domino redditur⁹. Eos postremò quorũ hypocrisis iusto ac legitimo Presbyterii Ecclesiastici iudicio talis fuerit conuicta vt à cõmuni Christianitatis ꝓfessione tãtisper fuerint ꝓhibiti dũ peccatũ ꝓ. bèagnouisse sint cõperti, habuero ex Dei verbo ꝓ extraneis, nõ vt pereãt, sed vt pudore saltẽ ipso adacti resipiscãt, totáq; Ecclesia receptæ quę aberrarat oui gratulẽtur. Hãc autẽ rationẽ prophanos à sãctis & patefactos hypocritas à cęteris Christiana religionẽ ꝓfitentibus discernẽdi aio &

pro-



probare ſum paratus, ex quo Eccleſia eſſe cœpit perpetuò ad hęc vſque tempora fuiſſe obſeruatã: ac quò fuit ſtudioſius obſeruata, eò puriorem Eccleſiam fuiſſe.

Q. V. *Iſtámne verò diſciplinã (qua vſque ad reſipiſcẽtiæ teſtimoniũ à cæteris ouibus ſeiũgũtur, quæ reliquas alioqui videri poſſent cõtagione infecturæ, vel nõ niſi hac cauterij ſpecie notatæ, ad gregẽ vnde aberrarunt redituræ) itaneceſſariam eſſe putas, vt vbi ea non ſit, ſtare non poſsit Eccleſia.* 247

R. Abſit. Eſt enim longè aliud Eccleſiæ fundamentum, quæ ſæpe, ipſo quoque publico Verbi miniſterio velut obruto, (vt patrum noſtrorum memoria multis ſeculis in Papiſmo) quaſi ſepulta conſtitit. Sed miſeret me ſanè Eccleſiarum in quibus vnuſquiſque, ſilente Eccleſiæ iudicio, ſuæ vnius conſcientiæ relinquitur, quoniam neque ſic vitari, neque inultam abire poſſe Cœnæ Domini prophanationẽ Paulus ad Corinth. ſcribens multò minoris momenti occaſionem nactus teſtatur. Sed illis etiã Eccleſiis multò magis metuerim, ſi quæ eo qđ ad ędificationẽ datũ eſt, ad deſtructionẽ abutãtur.

268

248 QV. *De ijs verò quid cẽſes qui propter aliorum impuritatem ad Cœnam Domini accedere recuſant?*

℟. Grauiter eos peccare cenſeo. Nec enim aliena cõſcientia, ſed ſua ipſius cuique probanda eſt.

249 QV. *An verò cuique liberũ eſt ad Cœnam Domini accedere, vel ab ea abſtinere?*

℟. Nequaquã. Dei enim hoc eſt præceptum, *Hoc facite.*

QV. *Sed vetat Apoſtol⁹ indignè accedere.*

℟. Cõcedo, ideóq; iubet dignè accedere, nõ aũt præcipit vt abſtineatur, quãuis abſtinere præſtat, quàm indignè accedere.

250 QV. *Quàm multa verò aduerſus ea dici poſſint ac ſoleãt quæ exte audiui nõ ignoras, ad quorũ refutationẽ quũ voles accedemus.*

℟. Scio, & iãpridẽ hæc omnia mecũ expẽdi, de quibus, quũ cõmodũ erit, ſic diſſeremus, vt tibi rationes meas probatũ iri confidã. Nũc iſta dixiſſe ſatis eſto, vt quæ mea ſit de his rebus ſententia intelligeres.

FINIS.

BIBLIOTEKA KÓRNICKA